



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio I. De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, idenditate, ordine & perfectione secundum se, & in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

trinitarios hæreticos, novos ac veteres controuersa sunt, rem omnem ad pauciores quæstiones reuocare; & quidem initium faciendo, non à processione diuinarum personarum, ut fecit S. Thomas, sed ab ipsis personis diuinis; cum persona diuina secundum se multò notiores sint, quàm earum processio; adeò ut doctrina de ipsis personis quasi fundamentum esse debeat eorum, quæ tum de processione earundem, tum aliis de rebus ad SS. Trinitatem spectantibus, magna ex parte Scholastico discursu potius eruantur, quàm apertè in scriptura traduntur.

Quatuor igitur quæstionibus materiam de sanctissima Trinitate totam comprehendemus. I. De Personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine & perfectione, secundum se & in genere. II. De processione seu origine diuinarum personarum. III. De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus ac proprietatibus personarum, & constitutione earundem. IV. De personis singulis in specie. Agit verò S. Thomas de hoc argumento non tantum in summa loc. cit. sed etiam contra gentiles lib. 4. & alibi: uti & ex Patribus S. Hilarius libros duodecim; Ambrosius libros tres; Augustinus libros quindecim; Basilius libros quinque contra Eunomium; Richardus Victorinus libros sex, & alii alios de eodem argumento scripsere.

### QVÆSTIO I.

De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine & perfectione, secundum se & in genere.

S. Thomas I. p. q. 29. 30. 31. 32. 39. & 42.

**A**bsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. Quid nomine Trinitatis, Personæ, Hypostasis, Subsistentiæ, vsq; & essentiæ in diuinis intelligatur. II. Quâ ratione Trinitatis mysterium à nobis in hac vitâ cognoscatur; an etiam naturali ratione, & euidenter. III. Quot sint Personæ diuinæ. IV. Quâ ratione dissoluendæ sint obiectiones, contra Sanctissimæ Trinitatis mysterium pugnantes. V. Quâ ratione vocula & ratio personæ communis sit omnibus personis diuinis; & de singulis prædicetur. VI. An præter tres subsistentias & hypostases personales, sit in Deo subsistentia quædam absoluta, non personalis; & communis omnibus tribus personis. VII. Quâ ratione diuinæ personæ se habeant ad Essentiã, & quomodo tum de utrisque inter se comparatis; tum vniuersim de his, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo, loquendum sit. VIII. An & quomodo diuinæ personæ sint inter se æquales, similes, & in se mutuo existentes, adeoque vnum. Oporteret quidem hic agi etiam de formali constitutivo diuinarum personarum; sed quia res hæc supponit cognitionem relationum & notionum, necessariò in quæstionem tertiam differenda est.

### DVBIVM I.

Quid nomine Trinitatis, personæ, hypostasis, subsistentiæ, vsq; & essentiæ in diuinis intelligatur.

S. Thom. I. p. q. 29. a. 4.

3 **V**Tiante cuiuslibet rei tractationem, supponendum est tum quid nominis, seu notio nominum, quibus in eâ re explicandâ vtendum est; tum etiam genus cognitionis, quo in eâ re cognoscendâ versamur: ita hæc duo etiam prius, quam arcani & ineffabilis huius mysterii explicationem aggrediamur, totidem dubiis, quasi prolegomeni alicuius loco, breuiter à nobis declaranda sunt; licet S. Thomas locis citatis hanc rem ipsi Tractationi non præposuerit, sed immiscuerit.

Quod igitur ad primum attinet, Notandum primo, quod Græcis dicitur *τριάς*, latinè *Trinitatem* dici, vocabulo non quidem Ciceroniano, sed Ecclesiastico. Quod tamen si ex vi nominis, quarumlibet rerum ternarium numerum significet, Ecclesiastico tamen loquendi vsu, cum absolute proferatur, singularem illum ac incomprehensibilem diuinarum personarum ternarium, adeoque ineffabile Trinitatis mysterium designat, quo tres sunt in Deo personæ, & vna numero simplicissima essentia seu natura, vt bene explicauit S. Thomas quæst. 3. 1. artic. 1. Vbi etiam notat, quamuis Deus dicatur *Trinus*; non tamen vocari posse *triplicem*, quia nimirum hæc vox compositionem, & diuersitatem rei secundum idem nomen significat: nec etiam aut naturam Dei, aut Trinitatem ipsam vocari posse *trinum*; quia nec natura, nec Trinitas in Deo multiplicatur. Quare Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. *Nec quoniam Trinitas est, inquit, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius.*

Quamquam Vasquez disp. 131. num. 16. existimat, nihilominus rectè dici posse, *triplicem* in Deo personam, & *duplicem emanationem*; sicut etiam loquitur S. Thomas quæst. 10. de potent. artic. 2. Et vulgari loquendi vsu, eoque non alieno à latinæ linguæ authoribus, sæpe dicimus, duplex, triplex. &c. pro duobus, tribus, &c. etsi fortasse minus proprie.

4 Sed & huic ipsi voci *Trinitas* singulæ nationes ac linguæ suam habent vocabulum respondens, eodem planè sensu & significatione. Quare profanè egit Lutherus, qui pro suo nouandi studio, Trinitatis vocem, si non mysterium ipsum exosus, de eâ uocula contemptim locutus est in maiore postillâ Conc. 1. dom. Trinit. & simul ex Litanis germanicis submouit, & expunxit illam precandi formulam, *sancta Trinitas unus Deus miserere nobis*; tam paruum utique propitiam habiturus S. Trinitatem, quam parum illi se supplicem præstitit. Quod si cui latinitas cordi est, habet Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, non solum optimos rectè sentiendi, sed etiam bene loquendi Magistros, qui frequenti vsu eam uocem latinitalis quodammodo iure donarunt.

Nec obstat, quòd in ipsâ Scripturâ sacrâ ea vox non reperitur. Nam & hoc in pleisque aliis uocibus sacris & doctrinalibus, puta *Incarnationis*, *Transsubstantiationis*, *Consubstantialitatis*, &c. accidit, quæ tamen optimo iure ac necessarîo, ad grauissima fidei nostræ mysteria, in Scripturis nihilominus tradita, vno uerbo significanda, ab Ecclesiâ fuerunt introducta. Et uerò semper licuit in vnaquaque discipli-

nâ, ad res ipsas commodè explicandas, nouare uocabula, quando uetera defuerunt. Quidni ergo hoc ipsum licuit Ecclesiâ, in doctrinâ fidei? vt bene etiam ostendit Athanasius in epistolâ de decretis Nicænæ Synodi, & in disputatione cum Ario Laodicæ habitâ, aduersus Arianorum importunitatem, reiciendum uocabulum Homouios.

Bene etiam S. Thomas hic quæst. 29. art. 3. ad 1. *Si de Deo, inquit, oporteret dici solum illa secundum uocem, quæ sacra scriptura de Deo tradidit, sequeretur, quòd nunquam in aliâ linguâ posset aliquis loqui de Deo, nisi in illâ, in quâ primo tradita est scriptura ueteri uel noui testamenti. Ad inuenienda autem noua nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hereticis. Nec hæc nouitas uitanda est, cum non sit profana, ut pote à Scripturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus, profanas uocum nouitates uitare. 1. Tim. ult. Ita S. Thomas,*

Notandum secundò, cum Trinitatis mysterium intrinsecè complectatur Trinitatem personarum, in uâ naturâ seu essentiâ diuinâ; necessarium esse, ad id mente concipiendum, uerbisque ritè exprimendum, compertam habere notionem eorundem uocabulorum, personæ, & naturæ, seu essentiæ; aliorumque idem significantium, quibus nunc Ecclesia in eiusdem mysterii significatione uti solet, qualia sunt, Hypostasis, Subsistentia, Substantia, Vsa, Homouios, seu Consubstantialis: præsertim cum, etsi quidem hoc mysterium semper in Ecclesiâ constantissimè creditum & propugnatum fuerit, vt ex omnibus symbolis liquet, attamen de nonnullis eiusmodi uocibus olim fuerit dubitatum: quarum proinde breuem explicationem hoc loco præmittere, necessarium uideretur.

Notandum igitur tertio, quod ad uocabulum *Persona* attinet, aliud esse, à quo nomen hoc desumptum est, aliud ad quod significandum est impositum. Nam vt ex Boetio lib. 3. de diuin. nat. notauit S. Thomas q. 29. a. 3. obiect. 2. & resp. ad eandem, nomen personæ uidetur traductum ex his personis, quæ in comœdiis, tragediisque; homines representabant. Persona enim dicta est à personando; quia concauitate ipsâ, maior necesse est, vt uoluar sonus. Græci uerò has personas *ὑπόσωτρα* uocant, ab eo, quòd ponantur in facie, atque ante oculos obtegant uultum. Quo modo etiam nunc dicimus, laruatos incedere personatos.

Hinc uerò translatione quadam, tum ad ceteras animi corporisue qualitates, quibus homines inter se differre solent; tum ad dignitates, quas in Repub. aut Ecclesiâ gerunt, significandas, idem uocabulum est traductum. Quo modo à Rhetoribus inter attributa personæ numerantur, esse studiosum aut militem; esse iracundum aut mitem; adolefcentem aut senem; pulchrum aut deformem; diuitem aut pauperem. Et in Repub. gerere alius dicitur personam Consulis; alius Senatoris; in Ecclesiâ, Episcopi, aut Præpositi. &c. Deniq; ad intrinsecam & substantialem dignitatem, perfectionemq; ultimam naturæ intelligentis significandam, idem nomen Ecclesiastico maxime loquendi vsu, deriuatum est; quo modo à Boëtio lib. de duabus naturis definitur: *Persona est rationalis (siue intelligentis) natura in diuina (hoc est, incommunicabilis) substantia.* Quæ definitio ab omnibus Theo-

logis (frustrâ dissentiente Scoto in r. d. 2. q. 1.) probata & recepta est, apud S. Thomam. q. 29. art. 1. eademq; notione idem nomen vsurpatur à latinis Patribus, uti & nomen græcum *πρόσωπον* apud Græcos. Neq; hoc sensu differt à *supposito*, nisi quod hoc latius patet, & naturæ cuiuslibet substantiali etiam non intelligenti competit.

7 Quare et si quidem nomen personæ, quantum ad id, à quo impostum est nomen, Deo non cōueniat; quâ de causâ etiam olim ex Græcis nonnulli personæ, seu *πρόσωπον* nomen in diuinis aliquantisper respuebant; rati nomen hoc officii seu dignitatis, nō substantiæ esse: tamen quantum ad id, ad quod significandum præcipuè impostum est, Deo maxime cōuenit, ut rectè S. Thomas cit. q. 29. a. 3. ad 2. adeò ut de fide sit, personæ rationem, iuxta vltimū nominis significatum, propriè ac formaliter in Deo locū habere; uti ex SS. Patribus & positâ descriptione personæ, ac in primis ex symbolo Athanasii patet, in quo dicitur: *Alia est n. persona Patris; alia Filii, alia Spiritus sancti*. Quicquid temere Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum cap. 34. contra cōmunem vsum Patrum & Conciliorum, personæ nomen referat ad solâ qualitatem, non ad substantiam; nec magis in Deo, quàm in bruto esse asserat; quasi ex æquo vtrisque; cōueniat. Quomodo verò hoc nomen personæ de tribus personis prædicetur; & quidnam in Deo directè & formaliter significet, inferius suis locis dicitur dub. 5.

Notandum quartò ex S. Thomâ q. 29. a. 2. sicut apud Latinos id, quo res quælibet secundum rationem nostram definitur, seu intrinsecè & essentialiter constituitur, vocatur *Natura* siue *Essentia*, aut etiam *Quidditas*, ita apud Græcos vocari *φύσις*, aut etiam *εἶδος*. Quare sicut indubitè Deo naturam & essentialitatem tribuimus, de qua disp. 2. q. 1. actum est, ita etiâ in Deo sine vllâ cōtrouersâ *εἶδος*, sicut & *φύσις* profitemur, ut rectè Damascenus lib. primo Instit. cap. 1. quicquid olim in Concilio Sirmiensis, & Ariminensi, Arriani nonnulli *εἶδος* non minus, quàm *hypostasis* voce abstinendum callidè censuerint; ut videlicet sublatâ vsuæ siue essentialitatis appellatione, discrimen pariter inter naturam & substantiam, seu personalitatem, in Deo auferrent, ut videre est apud Nicephorum. lib. 9. hist. cap. 99. & 44.

8 Vbi etiam ex Metaphysicâ suppono, personam quidem, uti & suppositum, non habere locum nisi in naturâ substantiali, at tamè differre à naturâ, siue ratione tantum & virtualiter (in diuinis) siue ex naturâ rei in creatis, uti ex mysterio Trinitatis & Incarnationis constat. Siquidem in omni substantiâ completâ & perfectâ tria considerari possunt re vel ratione distincta. Primum est ipsamet essentia siue natura per se spectata, quæ ut sic abstrahit ab vniuersalitate, & singularitate; potestq; adeò esse singularis aut vniuersalis: secundū est natura singularis & indiuidua; quæ præter naturam includit singularitatem, hoc est, ut verior habet Philosophia, gradum quendam seu differentiam indiuiduantem, quam etiam *hæcitate* vocant; quæ sit, ut ipsa pluribus inesse non possit, saltè multiplicata & diuisa in iis, quibus inest: licet adhuc esse possit saltè in vno, videlicet in supposito, quod perfectius sit, quàm ipsa. Tertiuū est ipsa persona, quæ iam perfecta & completa substantia est; & præter naturam singularem includit personalitatem siue

substantiam; hoc est vltimum quoddâ complementum intra latitudinem substantiæ, quo fit, ut natura singularis nō modò vna numero sit, nec possit inesse pluribus multiplicata & diuisa; sed et sit penitus incommunicabilis, ita ut nec vni quidè inesse possit; cum sit iâ in genere substantiæ vndequeq; perfecta & cōpleta.

Notandum quintò, de vsu & significatione græcæ vocis *Hypostasis*, quæ ex vi nominis & substantiam, & substantiam significat, si præcisè etymon spectes, olim, occasione Arriani hæresis, magnâ inter ipsos et Orthodoxos Patres fuisse cōtrouerfam; ut videre est apud Socratem lib. 3. c. 7. & Nicephorū lib. 10. hist. cap. 15. & verò aliquam diu etiam in Ecclesiâ liberum fuisse. Catholico sensu, voce *Hypostasis* promiscuè uti, siue pro natura & essentia, siue pro persona, ut videre est apud Gregorium Nazianzenum Orat. 21. de laudibus Athanasii, & orat. 32. ad centum & quinquaginta Episcopos, & apud Nicephorū lib. 10. c. 16.

Sed & S. Hieronymus circa eius vocis significationem & vsum anceps, epist. 57. ad Damasum, sub voce *hypostasis*, velut *sub melle*, *venenum* latere suspicatus (quandoquidem ut ipse aiebat, *tota secularium literarum schola, nihil aliud hypostasis, nisi s. ctav nouit*; quo sensu etiam quidam SS. Patres non tres, sed vnam in Deo hypostasin esse dixerunt) nil dubitauit vir doctissimus, S. Damasi Romani Pontificis, velut Iudicis cōtrouerfiarum fidei, supremam hac de re sententiam ac iudicium supplex exposcere: *Obtestor*, inquit, *Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per hominison Trinitatem, ut mihi epistolis tuis siue tacendarū, siue discendarum hypostasin detur auctoritas*. Simili dubitatione de eodem vocabulo hypostasis tenebatur etiam aliquando S. Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 8.

Hoc verò tempore, & iam dudum olim, maxime post Concilium Chalcedonenſe act. 5. in secundâ fid. confels. & Ephesinum anathem. 2. & 4. res extra cōtrouerſiam posita est; & certum in Ecclesia, in hac quidem materia, ea voce nihil aliud significari, quàm suppositum, seu in natura quidem intelligente personam: ita ut quod persona in natura rationali seu intelligente, id prima substantia, res natura, suppositum, & hypostasis, in qualibet natura substantiali significent, ut rectè etiam S. Thomas hic q. 29. a. 2. Sicut ergo tres in Deo personas, ita tres hypostases, seu ut loquitur S. Hieronymus, tria *enypostata*, sine vlla prorsus dubitatione confitetur Ecclesia, ut videre est apud Basilium epist. 43. Gregorium Nyſſenum libello de differ. vsuæ & hypostasis, Damascenum loco citato, & lib. 3. de fid. cap. 3. & 6. & ipsum etiam Hieronymum in exposit. fid. ad Damasum. Quo sensu iam dudum etiam antea legebatur apud S. Dionysiuū cap. 1. & 3. de diuin. nom. & apud Iustinum in confels. Trinit. 8. & lib. quæst. gent. q. 17.

Eundemque sensum apud Latinos habet vocula *Subſtētia*, ut notaui S. Thomas cit. quæst. 29. a. 2. in corp. & ad 2. nisi quòd nunc apud Scholasticos abstractè potius, pro ipsâ suppositalitate, seu complemento vltimo substantiæ, quàm concretè pro supposito vsurpari soleat, ut bene etiam notarunt Suarez lib. 3. cap. 4. num. 1. Vasquez disp. 125. & Albertinus tom. 2. de substant. quæst. 11. dub. 1. idque ex vsu etiam ipsius sextæ & septimæ Synodi. Licet & hæc vocula nonnunquam pro natura legatur accepta, apud Rusticum Diaconum contra Acephalos, vt

los, ut notavit Vasquez hic disp. 114. num. 10. sed hoc interpretis est, qui ita vocabulum hypostasis verit, cum eo loco potius substantiam vertere debuillet, ut mox dicitur.

12 Totam hanc controuersiam inter Græcos & Latinos, olim de nominibus personæ & hypostasis agitatam, optime exposuit Gregorius Nazianzenus orat. de laudibus Aθανασii sub finem: *Nam cum essentia, inquit, una, & tres hypostases à nobis* (Græcis) *piè dicentur, quod alterum diuinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declarat, ac simili quidem modo apud Romanos intelligerentur; ceterum ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam, hypostasin ab essentia distinguere non possent; eamque ob causam in illius locum personarum induxissent nomen, ut tres substantias admittere viderentur, quid tandem contigit? Res profecto ridicula, vel potius miseranda. Diuersa fidei speciem præbuit leuis illa, circa vocis sonum, contentio. Hic deinde alii Sabellij errori astupulari visum: alii Arii impietatem amplecti, quod reiectis personis tres hypostases nominarent. &c. Eò tandem res aduersa est, ut periculum esset, ne orbis terrarum fines, una cum syllabis, à se inuicem distraberentur & abrumperentur. Donec tandem magnus Athanasius, ut mox ibidem subiicit, utraque parte leniter & humanè accessit, verborumque sententia diligenter & accuratè perpensa, posteaquam concordēs reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter se dissidentes, ita negotium transegit; ut nomen ipsum concedens, rebus eos constringeret. Ita Gregorius.*

13 Notandum sextò, quod ad substantiæ voculam attinet, licet ea non olim tantum, sed & nunc quoque subinde bifariam accipiat, ut ex Aristotele lib. 5. Metaph. cap. 8. tex. 15. (vix vocabulum, quod interpretes substantiam vertunt, eodem modo distinguente) notavit S. Thomas hic cit. quæst. 29. art. 2. & colligitur ex Concilio Florentino sess. 19. nimirum primò, pro quidditate seu natura cuiusque rei, quam significat definitio; secundò pro hypostasi, seu ente subsistente, adeoque pro supposito; quo sensu etiam S. Hilarius olim lib. de synodis, asseruit, in Deo non malè dici tres substantias: tamen in hac materia vsu loquendi iam factum est, ut ferè priori tantum significatu accipiat, & sic absolute in diuinis una substantia, seu tres personæ vnus substantia, non autem tres substantiæ dicantur, ut notavit etiam S. Thomas quæst. 30. artic. 1. ad 1. ubi ait; *Nos (Latini) non consueuimus dicere tres substantias; ne intelligerentur tres essentia, propter nominis æquiuocationem: utcumque in definitione personæ superius ex Boetio tradita, incommunicabilis substantia, planè hypostasin significet.* Et quæst. 29. art. 2. ad 2. ait idem S. Thomas: *Quia nomen substantiæ, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, (quæ nimirum ex vi nominis, & substantia, & subsistentia verè potest) æquiuocatur apud nos; cum quandoque significet essentiam, quandoque hypostasin, ne possit esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre (saltem communiter) subsistentiam, quam substantiam.*

14 Eodemque sensu iam datum Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 9. ait: *Quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus, substantiam, non*

*audemus dicere, vnā essentiam, tres substantias. Et lib. 7. cap. 4. Dicitur est à nostris Græcis, inquit, vnā essentia, tres substantia, (hypostases) à Latinis vnā essentia vel substantia, tres personæ: quia sicut iam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, Latino, quam substantia solet intelligi.*

15 Notandum septimò, propriam Ecclesiæ vocem, qua contra Arianam hæresin, in professione Sanctissimæ Trinitatis, uti solet, esse vocem *Homousios*, siue *consubstantialis*; qua nihil aliud significatur, quam tres personas in Deitate esse eiusdem substantiæ ac naturæ. Quare etiam post exortam Arianam hæresin, Catholici ab hæreticis hac voce, quasi tætera quadam discernebantur, ut constet ex Concilio & Symbolo Nicæno; proque ea velut pro aris & focis acerrimè dimicabant reiectis illis, quas eius loco obtuderet ex Arianis nonnulli nitentur, vocibus *Heterousios*, aut *Homousios*, hoc est, diuersa, aut similis substantiæ. Vnde Ambrosius lib. 3. de fid. cap. 7. Rectè, inquit, *homousion Patri finem dicimus, quia verbo & personarum distinctio, & natura vnus significatur.*

16 Et tamen infelix Lutherus lib. contra Latomum ait; *Quod si odit anima mea vocem Homousion, & nolim ea uti, non ero hæreticus: quin etiam ibidem, & lib. de concil. seu malitia excæcatus, seu imperitia deceptus, non est veritus dicere: s. Hieronymo quoque eam vocem displicuisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur. Quod apertè falsum est. Circa vocem enim hypostasis, ut vidimus, non homousios, hæsitauit Hieronymus cit. epist. 57. ad Damasum; quin potius eodem loco ipsemet Sanctissimam Trinitatem, sine vlla hæsitatione & dubitatione, disertè homousion appellat, ut notat 5. vidimus. Et verò Lutherum locutum esse de verbo Homousios; non Homousios, ut falsò contra Bellarminum scripsit Danæus, apud Andream Eudæmon Ioannem in castigat. lib. 1. cap. 1. ex ipso contextu verborum apertissimum est. Atque hæc de vocibus & terminis quasi generalibus, quibus in explicatione huius mysterii necessariò vtendum est, satis. Sunt quidem adhuc voces aliæ plures, magis particulares, in explicatione huius mysterii vsitate; vt processio, Notio, notionalis proprietates, origo personarum. &c. sed de quibus sigillatim suis locis inferius agendum est.*

## DVBIVM II.

*An, & qua ratione Trinitatis mysterium à nobis cognosci possit; an etiam naturalitate & euidenter.*

S. Thom. 1. p. q. 32. a. 1.

1 Non defuerunt, qui existimarent, Mysterium Trinitatis euidenter, partim etiam vi naturali intellectus in hac vita cognosci posse. In quibus primò Raymundus Lullus, siue vt alii loquuntur, Lullius, docuit, supposito saltem lumine fidei, vel aliqua supernaturali reuelatione de hoc mysterio,

posse

posse naturali demonstratione vndiquaque evidenti demonstrari hoc mysterium; ita vt demonstrationes illæ etiam gentilem & Mahumetanum convincere valeant, si ad eas attendere velit, easque penetrare valeat. Fundamentum, & summa huius demonstrationis est. Quia ubique est actus, est concordia agentis, & acti, in ipso actu: in diuina autem bonitate est actus, quem ipse appellat bonificare: ergo ibi est concordia bonificatus, & bonificabilis, in actu bonificandi; ac proinde pluralitas, sine qua concordia esse non potest. Ex quibus postea infert, cum tria hæc sint in Deo re ipsa distincta, nimirum bonificatum, bonificabile, & actus bonificandi, hæc esse tres personas, neque has alias esse, quam Patrem, Filium, & amorem seu Spiritum sanctum, vt pluribus refert Vasquez disp. 133. cap. 1. 2. & 3.

2. Secundò Henricus quodl. 8. quæst. 14. docet, ita posse hominem in fide proficere, vt saltem post longum & diligens eius exercitium, inueniat necessarias & evidentes rationes Trinitatis. Quod de quibusdam fidei mysteriis indefinitè tradit Gerfon Alphabet. 13. lit. H. & fauet non parum Richardus de S. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 4. & lib. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 1. vibrationes naturales à se ad hoc Mysterium probandum adductas, putat non solum esse probabiles, sed etiam necessarias: ex quo etiam fortassis auctore eam opinionem refert Durandus in 1. dist. 2. quæstion. 4. etsi Richardum in alium sensum, iuxta ea, quæ dicemus assert. 5. interpretetur Sanctus Thomas q. 32. art. 1. ad 2.

Tertiò Scotus in 4. dist. 49. quæst. 1. I. docet, saltem in Angelo dari posse euidenter cognitionem simplicem Trinitatis, per actum merè naturalem, si velit De vs. speciem intelligibilem proportionatam (quamuis in se merè naturalem) ei communicare. Nam & talem speciem S. Trinitatis impossibile non esse; & si detur, naturalem virtutem intellectiuam Angeli ad vsum illius speciei sufficere.

3. Nos rem hanc sequentibus assertionibus cum S. Thomæ hic cit. quæst. 32. art. 1. ita breuiter declaramus. Assertio I. Ab eo, qui nullam habet fidem, seu reuelationem huius mysterii, adeoque secluso omni lumine fidei, & diuinæ reuelationis, non potest ratione naturali euidenter demonstrari seu probari hoc mysterium. Ita S. Thomas cit. quæst. 32. art. 1. & communis omnium Doctorum, nullo etiam ex citatis repugnante. Ratio patet ex sequentibus assertionibus.

Assertio II. Sed nec supposito communi fidei, aut diuinæ reuelationis lumine, nec vilo quamuis exquisito fidei exercitio accedente, potest naturali ratione, seu quouis modo euidenter demonstrari hoc mysterium. Ita cum S. Thomæ loc. cit. communis Doctorum hic & in 1. d. 2. speciatim Durandus loc. cit. Gregorius de Valentia hic q. 6. pun. 1. Molina, & Thomistæ recentiores q. 32. a. 1. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 11 & 12. Vasquez cit. disp. 133. cap. 2. 3. 4. contra Lullum & Henricum l. c. Probatum primò ex Scriptura, in qua apertè docetur, mysterium, hoc, aliaq; eiusmodi supernaturalia fidei mysteria, à nobis in hac vita non cognosci, nisi obscuro fidei ac diuinæ reuelationis lumine: Matt. 11. v. 27. Nemo no-

uit Filium nisi Pater, neq; Patrem quis nouit nisi filius, & cui volueris filius reuelare. Matth. 16. v. 17. Beatus es Simon Bar-lona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in calis est. Ioan. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: Pater enim filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. 1. Cor. 2. v. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius seculi, neque Principum huius seculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula, in gloria nostram. 2. Cor. 5. v. 7. Per fidem ambulamus, & non per speciem. Heb. 11. v. 1. Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.

Secundò idem probatur ex SS. Patribus; qui itidem docent, mysterium hoc à nobis in hac vita solū obscure cognosci per fidem, vt videre est apud Dionysium. cap. 2. & vltimo de diuini, nomin. Iulium in exposit. fid. & Athanasium epist. ad Serapionem, Episcopum. Et citat etiam pro eadem re S. Thomas hic q. 32. a. 1. argum. sed contra, Hilarium lib. 1. de Trinit. & Ambrosium lib. 1. de fid. cap. 5.

Tertiò idem probatur ratione S. Thomæ cit. q. 32. a. 1. [Quia per rationem naturalem in cognitionem Dei perueniri non potest, nisi ex creaturis: Creatura autem ducunt in cognitionem Dei, sicut effectus in causam. Hoc igitur solū ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creatura Dei est communis toti Trinitati; vnde pertinet ad vnitatem essentiae, non ad distinctionem personarum: per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiae, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum.] Ita S. Thomas.

Et addit S. Thomas, eum qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, si dei dupliciter derogare. Primo, inquit, quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ a ratione humanam excedant, &c. Quod probat ex Apostolo citato 1. Cor. 1. & Heb. 11. Secundo quantum ad utilitatem erabendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisum enim fidelium. Credunt enim, quod huiusmodi rationibus inuitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari, nisi per auctoritates his, qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defedere, nõ esse impossibile, quod prædicat fides. Ita S. Thomas; qui hoc etiam confirmat ex S. Dionysio cap. 2. de diuin. nom. vbi ait: Si aliquis est, qui totaliter eloquii reserit, longè erit à nostra Philosophia. Si autè ad veritatem eloquiorum (sacrorum) respicit, hoc & nos canone vitmur.

Accedit, quòd opposita Raymundi doctrina, tum in hoc, tum in aliis similibus capitib; in Ecclesia Catholica male audit; vt refert et Gerfon Alphabet. 16. lit. D. vbi ait: Sic nuper actū est Parisiis, per sacrā Theologie facultatem aduersus illos, qui doctrinam quandam Raymundi Lullii conabantur inducere; quæ licet sit in multis altissima & verissima; quia tamen in aliis discrepat à modo loquendi Doctorum sacrorum, & à regulis doctrinalis suæ traditionis, & vtilitate in scholis, ipsa edicto publico repudiata prohibitaque est. &c. ] Esto interim hæc nec doctrina ipsa, nec libri, canonicè per Ecclesiam damnati, aut prohibiti sint, vt pluribus persequitur Vasquez cit. d. 133. c. 4.

Denique

Denique si evidentes sunt illæ rationes Lulli, mirum est, neminem præter ipsum, & paucos eius discipulos Lullistas, vim & evidentiam earum percipere: cum tamen quæ evidentia sunt, non possint alioqui non perspicue cognosci, cognitis terminis, aut principijs. Nec vero Raymundi fundamentum superius allatum vilius est roboris; quia maior procedit de actu re distincto ab agente; qualem actum in Deo esse supponit quidem ipse in minore, sed nulla ratione evidenter probat. Contra illam vero Henrici doctrinam pluribus actum est disp. 1. q. 2. dub. 3.

7 Assertio III. Impossibile est etiam, cognitionem huius Mysterij evidentem, nedum quidditativam, haberi naturali vi intellectus, per propriam speciem à Deo infusam, quæ solum sit ordinis naturalis. Ita contra Scotum loc. cit. docent communiter Theologi, speciatim Durandus q. 1. prol. Capreolus in 1. d. 3. quæst. 2. art. 3. Vasquez disp. 134. cap. 3. alijque recentiores citati pro præced. assert. Probatur. Omnis cognitio Dei, si quæ datur per propriam speciem, necessario est intuitiva, quia fertur in Deum sicuti est in se, adeoque etiam vi actu existentem; cum existentia sit de eius essentia: atqui impossibile est, vt creatura naturali vi intellectus intuitivè videat Deum; alioqui naturaliter posset esse beata, vt dictum disput. 2. p. 6. dub. 3. Ergo, &c.

Accedit, quod species propria rei, cum naturale quasi instrumentum sit ipsius obiecti in representando, eiusdem vtiq; ordinis esse debet cum ipso obiecto, cuius est species: Deus autem quatinus in personis, est obiectum plane supernaturale, vt patet: Ergo necessario etiam propria species eius, si qua datur, supernaturalis esse debet: & per consequens etiam nec cognitio per eam specie habita potest esse naturalis; cum actualis vsus speciei supernaturalis non possit esse naturalis; atque ad supernaturalem actum sufficiat vnū principium supernaturale; vt patet in actu fidei, dum simul ab habitu supernaturali & potentia naturali procedit.

8 Denique vniuersum impossibile est, vllam dari speciem propriam Dei; aut vllam cognitionem Dei quidditativam, quæ non sit intuitiva, vt probauimus d. 2. q. 6. dub. 2. Vbi generatim eam Scoti doctrinam refutauimus, cum docet loc. cit. & in 2. d. 3. q. 9. posse haberi per propriam speciem cognitionem quidditativam huius mysterij, vt & essentia diuina, extra visionem beatificam; quæ proinde cognitio sit abstractiua tantum, non intuitiva; quod docent etiam Ockam q. 1. prol. a. 5. Maior in 2. d. 3. q. 5. & q. 3. Bassolis q. 1. prol. a. 2. Petrus Alliacensis q. 1. prol. a. 2. & Aureolus q. 1. prol. a. 2. & 4. quos post Heruæum quodlib. 2. q. 5. Durandum; & Capreolum loc. citat. merito refutat Vasquez disp. 134. cap. 3.

Non tamen interim negandum, haberi posse de his fidei mysterijs evidentiam in attestante, vt suo loco de fide docetur: sicut etiam Vasquez d. 135. n. 7. & 8. agnoscit, de iisdem mysterijs possibilem esse cognitionem evidentem abstractiuam, quoad quæstionem An est, per alienas species, & medium saltem extrinsecum.

9 Assertio IV. Probabilis est, si nulla planè præ-

cessisset reuelatio huius mysterij, id nec per coniecturam quidem aliquam, aut suspicionem, vlli in mentem fuisse venturum. Ita merito Suarez hic li. 1. c. 1. n. 11. & Vasquez d. 132. n. 5. Ratio est. Quia seclusa omni reuelatione, non minus videretur, implicare contradictionem, tres personas esse vnā simplicissimā entitatem essentia diuinæ, quæ supposita notione Dei, esse tres Deos: contra quam, persuasione suis principijs nixam, nulla admitti potest dubitatio. Huc spectat, quod vt bene aduertit Aureolus in 1. d. 2. a. 4. [Veritas Trinitatis difficilis est ad intelligendum propter quæ, quæ oportet saluare; vt ipse loquitur. Primū quidem, omnimodam identitatem, & nullam distinctionem penitus proprietatum cum essentia, & tamen inter se veram realem distinctionem: secundū vero quaternitatis exclusionem: tertium quoque, vitare omnem compositionem: quartum autem, non relinquere aliquam additionem ad diuinam essentiam: quintum quoque, seruare mutuam prædicationem proprietatis de essentia, & e conuerso.] Quæ omnia intellectus creatus profus censuisset esse impossibilia, nisi fides seu reuelatio præcessisset.

10 Assertio V. Supposita tamen reuelatione & fide, potest congruentia seu conuenientia huius mysterij naturalibus quibusdam rationibus verisimiliter suaderi. Ita cum S. Thomas q. 3. 2. a. 1. ad 2. cōmunis; & patet apud eundem S. Thomam 1. 4. cōtinentes & Richardum Victorinum loc. cit. qui eiusmodi rationes congruentes adferunt. Prima est. Quia perfectionis est, se perfectissimo modo posse comunicare: & si creatura potest progenerare sibi simile in natura; cur non & Deus; pro quo etiam à nonnullis afferitur illud Isai. 66. Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? & qui alios generatione tribuo, sterilis ero? Sed quod proprie ad spiritualium filiorum generationem pertinet.

Secunda est. Quia in homine est quædam Trinitatis imago; secundum intellectum, voluntatem, & memoriam, seu quatenus in eo inuenitur præter intellectum, Verbum conceptum, & amor procedens, vt notauit S. Thomas q. 45. a. 7. de qua re S. Augustinus lib. 9. de Trin. c. 4. & leq. & 14. de Trin. c. 3. & S. Thomas q. 27. a. 1. & 3.

11 Tertia. Quia in omnibus rebus, omnique rerum genere, inuenitur quoddam vestigium Trinitatis; vt docet Augustinus l. 6. de Trin. c. 10. & S. Thomas q. 45. a. 7. In omnibus enim relucet potentia, sapientia, & bonitas diuina. Item in omnibus cernitur vnitas, & species, & ordo. Quicquid enim horum est, inquit Augustinus loc. cit. & vnum aliquid est, &c. & aliqua specie formatur, sicut sunt figura & qualitates corporum, ac doctrina & artes animarum: & ordinem aliquem petit aus tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atq; amores aut delectationes animarum, &c. Quo spectant illa tria, numerus, pondus, & mensura, de quibus Sap. 11. iuxta S. Thomam loc. cit. Item in omnibus agentibus naturalibus tria sunt, esse, posse, operari, seu quod idem est, natura, naturalis potentia, & operatio. Hinc etiam trina Philosophia; rationalis, moralis, naturalis. Tres abstractiones; tres modi differendi; tres operationes intellectus; tres termini & figura syllogismorum; tria præcognita; tria principia naturalia;

tres motus simplices; tria genera animarum; tres potentie animæ, vegetatiua, sensitiua, & rationalis; triplex abstractio scientiarum realium; tres passiones entis. Omnia etiam constituuntur principio, medio & fine; quare tria esse omnia, dixit Aristoteles lib. 1. de celo text. 2.

Quarta. Quia ab intellectu & voluntate creata procedit aliquis terminus realis, & realiter ab intellectu & volente distinctus; Ergo conuenit credere id suo modo etiam fieri in Deo, &c. Quæ rationes etsi congruentiam huius mysterij vt eun-que ostendant, eius tamen existentiam euidenter aut necessario nequaquam probant, vt cuius consideranti perspicuum est.

12 Assertio VI. Cognitio mysterij Trinitatis per fidem, seu reuelationem, necessaria fuit in humano genere, ad recte sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per filium incarnatum, & per donum spiritus sancti; cui nimirum peculiariter attribuitur sanctificatio nostra. Ita S. Thomas cit. q. 32. a. 1. ad 3. Ratio est. Quia ad gratias dignè benefactori referendas, necessarium est scire, à quo beneficium acceperis; Ergo in omni statu suo modo necessarium fuit, Trinitatem personarum ex reuelatione habere cognitam; etsi non eodem modo respectu singulorum, vt suo loco de fide vberius docetur.

Sed contra hanc doctrinam præcipuè assert. 2. & 4. proposita, præter ea, quæ iam superius allata, ac ex dictis refutata sunt, obijcitur primo, quod multi Philosophi gentiles Trinitatis cognitionem habuisse videntur; vt de Platone, Orpheo, Trismegisto, & alijs referunt & testantur SS. Patres, Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. Iustinus Martyr in orat. ad gent. Cyrillus 1. & 2. contra Iulianum, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28. & lib. 18. de ciuit. cap. 37. & lib. 7. Confess. ca. 9. & prolixè collegit Augustinus Euginus lib. 1. & 2. de perenni Philosophia.

Speciatim huc faciunt ea, quæ refert S. Thomas q. 32. a. 1. obiect. 1. vt quod Aristoteles 1. 1. de celo text. 2. dicit: [Præter has (tres magnitudines) non est alia magnitudo; propterea quod ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque. Quemadmodum enim aiunt & Pythagoræi, ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: finis enim, & medium, & principium numerum habent eum, qui ipsi omnis est: hæc autem eum, qui Trinitatis est. Quapropter à natura accipientes, tanquam lege illius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero. Quæ verba ita refert S. Thomas: per hunc numerum, scilicet ternarium, adhibuimus nos ipsos, magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata.]

13 Et Augustinus citat. lib. 7. confess. cap. 9. ait: [Procurasti mihi per quendam hominem, immanissimo typho tumidum, quosdam Platoniorum libros ex græcâ linguâ in latinam versos; & ibi legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbū erat apud Deū, & Deus erat Verbum, &c.] Trismegistus quoque in libro, qui dicitur Himander dialog. 4. ait: *Monas genus monadem, & in se suam reflexit ardorem.*

Denique plura extrant testimonia Sibyllarum, quibus hoc mysterium clarissimè traditur, apud Lactantium lib. 1. diuin. Instit. cap. 6. & lib. 4. cap. 6. & 7. Augustinum 18. de ciuit. cap. 23. & Euginum lib. 1. de perenni Phil. cap. 25.

Ad hanc obiectionem respondet S. Thomas cit. q. 32. a. 1. ad 1. Philosophos non cognouisse mysterium Trinitatis diuinarum personarum per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & processio, secundum illud Apostoli cit. 1. Corinth. 2. cognouisse tamen quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia filio, bonitas spiritus sancto. Sed reuera plus dicunt SS. Patres locis citat. & patet insipienti eorum testimonia loc. citat.

14 Respondeo igitur ex communi; Ethnicos illos Philosophos, præcipuè Trismegistum & Platonem, habuisse quidem imperfectam aliquam Trinitatis cognitionem; verum non ratione naturali acquisitam; sed haustam ex reuelatione diuinâ siue per sacram scripturam, præcipuè Moysis, seu per Maiorum traditionem accepta, & ad gentiles deriuata: vt videre est apud Eusebium lib. 10. de præparat. Euang. cap. 1. 2. & 3. & Theodoretum de græcan. affect. ipsumque Augustinum cit. lib. 18. de ciuitat. Dei. Sed & Sibyllas immediate diuino numine afflatas, hæc fidei mysteria ab ipso Deo didicisse, communis est & cetera Doctorum, ac Patrum sententia, loco citato. Aristoteles tamen loco citato ad rem non pertinet. Solum enim significat, antiquos vsos fuisse ternario numero in sacrificijs & orationibus, non quod ipse constitueret ternarium numerum in diuinis, sed propter quandam ternarij numeri perfectionem. *Tria etiam dixit esse omnia, quia principio, medio, & fine continentur omnia; quodque primus perfectus numerus sit ternarius, vt ibidem ipse persequitur, vt bene Sanctus Thomas, qui etiam dicit, citatum illud Trismegisti, non esse referendum ad generationem Filij, vel Processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi. Nam vnus Deus produxit vnum mundum, propter sui ipsius amorem.*

15 Secundo obijcitur, quod Sanctus Thomas cit. quest. 32. artic. 1. concedit, absque reuelatione defendere nos posse, non esse impossibile, quod de hoc & alijs mysterijs prædicat fides. Ergo ratione naturali potest cognosci possibilitas, adeoque & existentia huius mysterij, &c.

Respondeo negando consequentiam. Quia defenso illa, de qua loquitur Sanctus Thomas, non consistit in probatione eius possibilitatis, vel non impossibilitatis, sed in solutione argumentorum, quæ ostendimus, suppositis fidei motiuis, neminem prudenter moueri posse, vt argumentis seu propositionibus fidei contrarijs assensum præbeat; quod quidem fit sola probatione credibilitatis, non autem veritatis, aut possibilitatis rerum fidei, vt pluribus dictum disput. 1. questio. 5. dub. 5. Cetera argumenta, quæ à Gregorio de Valentia obijciuntur, faciliora sunt, quam vt speciali responsione egeant.



## D V B I V M III.

## Quot sint personæ diuinæ.

S. Thom. 1. p. q. 39.

1 AD pluralitatem personarum diuinarum, requiritur, vt & sint personæ in Deitate, inter se reipsa distinctæ, iuxta eam personæ notionem & definitionem, quæ ex Boëtio dub. 1. retulimus; & vt singulæ istæ personæ sint vnus & verus Deus. Nā si personæ eiusmodi aut non sint inter se verè atq; à parte rei distinctæ; aut singulæ non sint vnus & vnus Deus, tunc reuera nulla erit personarum diuinarum pluralitas. Cum enim vnus vnus tantum sit, ex dictis d. 2. q. 5. dub. 3. fieri non potest, vt sint vnus vnus, nisi sint vnus vnus Deus. Hoc ergo sensu quæsitum hoc est caput totius disputationis de Trinitate; in quo turpiter impegerunt quotquot Trinitatis mysterium aduersus Catholicam Ecclesiam impugnarunt.

Qui quidem inter se variè differunt. Quidam enim hoc mysterium apertè negant, & impugnant; alij solum occultè & indirectè. Ex illorum numero sunt Pagani & gentiles, non solum athei illi & idololatra, qui aut Deum prorsus nullum, aut certè verum Deum non agnoscunt, sed etiam qui vnum verum Deum Conditorum cæli & terræ profitentur; nam & isti aut personas plures in diuinis prorsus non agnoscunt, aut certe plures etiam Deos constituunt.

2 Secundo huc spectant omnes Iudæi, qui scriptura ductu vnum quidem verum Deum agnoscunt & profitentur, pluralitatem autem personarum diuinarum, tamquam scripturis diuinis aduersam rejiciunt.

Tertio huc spectant quam plures hæretici, qui ab hac ipsa erroris materia Trinitarij, seu Antitrinitarij appellantur. Qui quidem sunt in duplici differentia. Alij enim directè pluralitatem personarum in ipso Deo negant; alij vero directè negant consubstantialitatem, seu quod ex pluribus illis personis singulæ sint vnus & verus Deus.

3 Prioris generis fuerunt olim Hermogenes, Praxeas (refutatus à Tertulliano peculiari libro) Noëtus, Sabellius, teste Augustino lib. de hæresibus cap. 41. vbi expresse Noëtianis & Sabellianis tribuit, quod dicant, in DEO eundem ipsum esse, & Patrem, & filium, & spiritum sanctum. Eandem pluralitatem personarum negarunt Paulus Samosatenus, & Photinus, teste Hilario lib. de Synodis, & Theodoro lib. 1. hæret. fab. Ex recentioribus vero nostri temporis Sectarijs, eandem hæresin sectantur Michaël Seruetus Geneuæ, instigante Caluino, Anno 1555. publicè combustus, itemque eius discipuli, Franciscus Daudis, Georgius Blandrata, & alij multi in Transyluania & Poloniâ noui Trinitarij Samosateni, qui asserunt, nullam esse in Deo distinctionem personarum, simulque negant, Christum secundum essentiam esse Deum illum verum, qui in scriptura Deus Israël, & Deus vnus dicitur; sed ipsa humanitate sua, & secundum humanam, & creatam hypostasin suam, quatenus sine viri

opera, ex dei substantia, vt Seruetus loquitur, conceptus est, aiunt esse filium Dei, & Deum, gratia, & sanctificatione, & inhabitatione singulari diuinitatis in ipso, vt pluribus explicant Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 1. §. 7. & Bellarminus tom. 1. controuerf. 2. lib. 1. cap. 1.

4 Posterioris autem generis, qui directè consubstantialitatem personarum in diuinis negant, fuerunt Peratæ apud Theodoretum lib. 1. hæret. fab. qui [Trinitatem dicunt ingentam, & nominant tres Deos, tres rationes, tres mentes, tres homines, &c.] Eundem secutus est Arius cum suis, qui testè eodem Theodoro lib. 4. hæret. fab. negauit, [filium esse eiusdem cum Patre substantiæ, eundem creaturam vocans; nec cœternum esse Patri, sed ex ijs, quæ non sunt, factum esse dicebat; & ipsum mutabilem habere naturam assererat.] Quod pariter etiam de Spiritu sancto sensisse ex eodem Theodoro ibidem colligitur. Arianorum enim, vt & Eunomianorum, ac Macedonianorum (de quibus mox dicitur) vox erat, [spiritum sanctum non verum, sed peregrinū & adscriptitiū Deum esse,] teste Gregorio Nazianzeno orat. 5. de Theologia.

5 Ipsamet autem Arii verba refert Athanasius orat. 2. contra Arianos, ex libro quodam eius, quem inscripsit Thalia; [Ipsum, inquit, Verbum ex nihilo factum est. Cum enim omnia ex non entibus extiterint, & in vniuersum nihil sint, nisi creatura & opera, restat igitur, ipsum quoque DEI verbum ex non entibus factum esse. Et fuit, quando non erat, neque erat, antequam fieret, sed exordium, vt crearetur, ipsum etiam habuit. Deinde cum vellet nos Deus condere, tunc vnum aliquem fecit, quem Verbum, filium, & Sapientiam nominauit, vt per eius operam nos architectaremur, &c.]

Idem docuit Eunomius, apud eundem ibidem, qui filium quidem [primam & eximiam Patris creaturam esse dicebat; Spiritum autem Sanctum ante alias creaturas esse à filio fabricatum. Eunomiani autem, inquit Theodoretus inferius, etiam Aëtiani appellantur, nempe quod Eunomius Aëtium suum Magistrum & Doctorem appellasset.]

6 Itaque vt ait idem Theodoretus in dialog. 2. Inconfusus, [Diuerfa & omnino contraria fuerunt hæretica decreta Arii & Sabellij: Ille quidem diuidit substantias; hic vero confundit hypostasies seu personas. Arius quidem tres substantias (sive essentias) inducit: Sabellius vero pro tribus vnam hypostasin (seu personam) esse dicit.] Quod passim etiam notarunt Augustinus, & alij Patres. Arii hæresin secutus fuit etiam Ioannes Philoponus apud Nicephorum lib. 18. cap. 48. & Gallus quidam, contra quem S. Anselmus scripsit librum de Incarnat. &c.

Hanc eandem Arii hæresin renouauit nostro seculo Valentinus Gentilis Italus, qui post palinodiam Geneuæ decantatam recidiuus, ob eandem hæresin apud Bernam capite plexus fuit, de qua re extat peculiaris libellus Benedicti Aretij inscriptus de supplicio Valentini. Ab hoc Valentino enata est noua secta Trinitariorum, qui docent, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres

esse spiritus aternos, essentiali numero differentes; & addunt, has tres personas non esse aequales, sed patrem esse longe eminentiorem ceteris, ita ut ipse essentiaior, alij duo essentiaii dici debeant, ut pluribus declarat Bellarminus loco citato capite secundo. Sicut igitur Seruetus personarum Trinitatem in Deo profus sustulit, ita Valentinus non modò personarum: sed etiam naturum Trinitatem asseruit. Sed & ipse Arius cum suis, licet verbo tenus Trinitatem confiteretur, re ipsa tamen negabat plures personas diuinas, ut recte notauit etiam S. Thomas q. 27. a. 1. Atque hi haecenus aperte Trinitatis mysterium impugnant.

7 Occultè verò idem Trinitatis mysterium impugnanone immèrito visi sunt primum Lutherus; qui non solum Trinitatis vocem & inuocationem; vti & vocabulum *Homousios* exosa habuit, ut dictum dub. præced. sed etiam in biblijs suis optima S. Trinitatis & diuinitatis Christi testimonia pessime deprauauit, omiſsa vocula *Dei* Isai. 9. v. 6. & testimonio illo 1. Ioann. 5. *Tres sunt &c.* imò & Comment. in caput. 1. Genes. filium Dei aternum instrumentum Patris appellat.

Deinde Melanchthon; qui in libro contra Stancarum, & in locis communibus Anni 1558. pag. 40. loquens de filio secundum diuinitatem ait, *Filius subditus est Patri, subiectus, obediens.* Et in epistola ad Electorem Brandeburgens. 12. Ianuar. Anno 1553. & in lib. contra Stancarum: *Filius DEI*, inquit, *secundum diuinitatem gloriam sibi dari ac restitui orat & postulat.* Et in citatis locis communibus pag. 40. ait: *Natura diuina filij obediuit Patri in passione.* Denique in locis communibus Hallæ Sueuorum editis Anno 1539. folio 8. & 10. ita loquitur de filio, ut ei non absolute naturam diuinam, sed aliquid nature diuinae; item quandam diuinam naturam tribuat. Quo modo etiam in locis Anni 1545. folio 53. dicit, quando Spiritus sanctus mittitur, aliquid essentia diuinae mitti.

8 Adhæc Caluinus lib. contra Valentinum Gentilem ait, Filij personam non nisi improprie Creatorem celi & terræ nominari; Patrem autem proprie. Item, Improprie esse atque duram orationem illam *Symboli Nicæni*, *DEVS de DEO.* Eundem Caluinum pro sui erroris defensione citans Blandrata Seruetianus in disputat. Albanâ articulo 2. Auditor, inquit, ad unicum Caluinum relegamus, qui veteres Scriptores (SS. Patres) palam carpit, quod locum hunc, *Ego & Pater unum sumus, ad unitatem essentia detorserunt.*

Præterea Bullingerus itidem Sacramentarius lib. de authorit. Script. & Eccles. tres in diuinate personas differre dicit, non statu, sed gradu; non subsistentiâ, sed formâ; non potestate, sed specie.

9 Denique Erasmus in Schol. tom. 3. epist. Hieronymi, veritus non est scribere, Arianos, non hæresin docuisse, sed tantummodo fecisse schisma. Item annotat. in caput vlt. 1. Ioann. illud Ioann. 14. *Ego & Pater unum sumus*, cum Arianis non de naturæ unitate, sed de concordia voluntatis interpretatur. Item in caput ad Rom. 9. locum illum Pauli Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*, itidem cum Arianis interpretatur,

Non sibi equalitatem cum DEO arrogauit. Circa illud etiam Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem; qui est super omnia DEVS, &c.* voculam, *DEVS* aut redundare, aut ad Patrem referri docet. In præfat. quoque ad libros Hilarij, *Audemus*, inquit, *Spiritum sanctum DEVM* appellare; quod veteres non sunt ausi. quod aperte falsum est. Postremo ad marginem disputationis Sancti Augustini cum Maximino Ariano lib. 11. annotauit Erasmus, naturam diuinam non unam esse numero, &c. Quæ & plura alia referunt Gregorius de Valentia cit. disp. 2. q. 1. p. 1. §. 7. 8. 9. 2. 4. & Bellarminus in præfatione cit. Controuersia de Christo.

10 Etsi verò hæc controuersia & per se grauissima sit, & tractatio eiusdem, ob tantam malè de ea sentientium varietatem, perquam necessaria, quia tamen & res hæc iam antea egregiè contra hæreticos à Bellarmino & Gregorio de Valentia locis citatis est pertractata, & nostri instituti propriè non est controuersias fidei contra hæreticos, quæ potius Scholasticas, quæ inter Doctores saluâ fide disputatur, pertractare, ideo breuiter solû aliquot assertionib⁹ Catholicâ doctrinâ hac de re, proponâ, & appositis Scripturæ testimonijs confirmabo.

Assertio I. Vna persona diuina est Pater; qui prouidè verè, propriè ac substantialiter verus est ipse Deus. Hæc assertio inter eos, qui scripturam recipiunt, est extra omnem controuersiam: null⁹ enim fuit hæreticus, vti nec Iudæus, qui negaret, eum qui in Scriptura vocatur *Deus Pater*, verè, propriè, ac substantialiter esse verum DEVM: imò huic vnus, Iudæi, vt & Ariani noui ac veteres, propriè ac substantialiter verum Deum esse contendunt. Solus Valentinus Gentiles turpiter insaniens, in suis prothesibus negare ausus est, Patrem non quidem esse verum Deum, sed esse personam: *Pater*, inquit, *non est hypostasis seu persona, sed spiritus à quo omnia, secundum Apostolum.* Quasi verò Pater à quo filius, & spiritus à quo omnia, persona non sit: cum aliud non sit persona, quam intelligens & per se subsistens substantia; qualis necessario est spiritus ille, à quo omnia, ut ex dictis disp. 2. patet.

11 Testimonia vero Scripturæ, in quibus Deus verus vocatur Pater, sunt ista. Job. 34. v. 3. ait Eliu ad Deum: *Pater mi, probeatur Job vsq; ad finem.* psal. 88. v. 27. *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, DEVS meus & susceptor salutis meæ.* Sap. 2. vers. 16. de Christo dicitur: *Gloriatur Patrem se habere Deum.* Et rursum Sap. 11. v. 11. ad ipsum verum Deum: *Hos quidem tanquam Pater mouens probasti, illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.* Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, prouidentia gubernat.* Eccli. 23. v. 1. *Domine Pater, & dominator vita meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, &c.* Ibid. v. 4. *Domine Pater, & Deus vita meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.* Eccli. 5. 1. v. 14. *Inuocauit Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio.* Isai. 63. v. 16. *Tu enim Pater noster; & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum.* Isai. 64. vers. 8. *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Ierem. 3. vers. 4. *Ergo saltem*

amodo voca me: Pater meus, dux virginum mearum es. Et ibidem v. 19. Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. Ierem. 31. vers. 9. Factus sum Israël Pater, & Ephraim primogenitus meus est. Malachiae 1. vers. 6. Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus, & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum. Malachiae 2. versu 10. Nunquid non pater vnus omnium nostrum? nunquid non DEVS vnus creauit nos?

Et in nouo testamento sapissimè, Matthaei 5. vers. 16. *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Et vers. 45. *Ut sitis filij Patris vestri, qui in caelis est.* Et vers. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est.* Matth. 6. vers. 1. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est.* Et vers. 9. *Pater noster qui es in caelis.* Et vers. 32. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Matth. 11. vers. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine caeli & terrae.* Et vers. 27. *Nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrem qui nouit, nisi filius.* Matth. 23. v. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram. vnus est enim Pater vester, qui in caelis est.* 2. Corinth. 1. vers. 2. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESU Christo, benedictus Deus & Pater Domini nostri IESU Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Omitto alia innumera. Ex quibus satis patet, in vtroque testamento, verum & vnicum Deum vocari Patrem, & quidem vtroque modo relatiue, tum ad creaturas scilicet, tum ad aeternum & consubstantialem filium, vt mox dicetur. Eadem assertio patet ex omnibus symbolis.

Assertio II. Persona quoque diuina est filius; qui & ipse vere, proprie, & substantialiter verus est Deus. Hac assertio est de fide, contra Iudeos, & Arianos nouos ac veteres, superius relatos; qui negat, vt vidimus, filium esse vere ac substantialiter verum Deum: tamen si personam aliquam esse nemo negat. Nam vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 2. Omnes haereticus, qui filium Dei agnoscunt, per filium illum Dei aut intellexerunt aliquem spiritum aeternum, aut aliquam creaturam nobilissimam & perfectissimam, ordine primam, quae vtiq; necessario persona esse debet, aut Christum Iesum natum B. Mariae Virginis, qui vel accidentaliter, vel substantialiter quoquo modo filius Dei dicatur. Idem colligitur ex ratione filij, qui substantiam completam & perfectam denotat.

Testimonia autem diuinitatis filij Dei, qui scilicet in Scriptura dicitur vnigenitus, aeternus, verus, aut proprius filius Dei Patris, à nobis in quatuor classes distinguuntur. Prima est eorum locorum, in quibus filius ipse, sub nomine *Filij* aut *Verbi diuini*, (quod eadem esse cum filio personam probabitur inferius) Deus esse dicitur, aut docetur. Ioan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ety. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et v. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi idem vocatur vnigenitus, qui antea Verbum & Deus est appellatus. Ioan. 10. v. 30. *Ego (filius) & Pater vnus sumus.* Quod omnes Patres de vnitae substantiae intellexerunt, non de sola voluntatis concordia. 1. Ioann. 5. v. 20. *Et scimus in*

vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita aeterna. Vbi in graeco textu efficacius & significantius dicitur, *et ipse est verus deus, et vita aeterna in se ipso.* Eodem referri possunt alia loca, in quibus mentio fit singularis alicuius filij Dei, non per adoptionem, sed per naturam, quae inferius referemus.

Secunda classis est eorum locorum noui testamenti, in quibus Christo (quem eundem etiam esse cum filio Dei, inferius patebit) tribuitur diuinitas. Ioann. 20. v. 28. *Respondit sanctus Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Act. 20. v. 28. *Vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI; quam acquisiuit (idem scilicet DEVS) sanguine suo.* Rom. 9. versu 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* 1. Corinth. 2. v. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Philipp. 2. v. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesus qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, etc.* Titi 2. vers. 13. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* Apocal. 17. v. 14. *Agnus (vtique Christus) vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & Rex Regum.*

Huc pertinent etiam ea loca, quibus significatur, Christum esse filium Dei, non adoptione per gratiam; sed naturalem, adeoque consubstantialem Dei filium, quandoquidè de ratione filij naturalis est, vt sit eiusdem naturae cū Patre. Matt. 16. v. 16. *Tu es Christus filius Dei viui: graecè, οὗτος ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος;* nempe singularis ille & vnicus filius Dei. Luc. 1. vers. 32. *Et vocabitur Altissimi filius.* Galat. 4. vers. 4. *Misit Deus filium suum, &c. ut adoptionem filiorum reciperemus.* Hebr. 1. vers. 5. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiae eius.* Et vers. 5. *Cui enim aliquando Angelorum dixit, filius meus es tu: ego hodie genui te. Et rursum, Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* 1. Ioann. 5. vers. 20. *Scimus quoniam filius Dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & scimus in vero filio eius.* Eiusdem generis sunt alia loca, in quibus Christus vocatur vnigenitus, seu vnicus filius Dei. Ioann. 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Et vers. 18. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ioann. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret.*

Tertia classis est locorum veteris testamenti, in quibus diuinitas tribuitur Christo ac Messiae; quae quidem loca directè contra Iudaos pugnant. Iesai. 9. v. 6. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi, princeps pacis.* Et quamuis iam Iudaei mutatis punctis legant, *ikra;* hoc est, *vocabit*, quasi epitheta illa sint Dei Patris vocantis, non Christi aut filij vocati; puncta tamè illa primò post S. Hieronymi tempora Hebraeo textui adiecta, auctoritatè per se nō merentur: & contextus ipse clamat, tam multa illa nomina tribuenda non esse vocanti, sed vocato Messiae, de cuius nomine ibidem ex instituto agit Propheta;

ac proinde secundum aliam punctaturam legendum *likhare*, hoc est, *vocabitur*: sicut ante Iudæos illos punctatores legit non solum latinus interpretes, sed etiam ante illum plerique græci interpretes. Symmachus enim habet *καλησεται*; Ignatius, Irenæus, Eusebius, quin etiam LXX. habent *καληται*. Imo etiam Targum hoc loco passivum habet.

18 Huc spectat illud Isai. 35. v. 4. *Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, &c.* Isai. 45. v. 14. *Hac dicit Dominus &c. Tantum in te est Deus, & non est absq; te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator.* Vbi cum loquatur Deus de Deo, & ad Deum, vt ex contextu patet, Pater vtique ad filium, & de filio Saluatore & Messia loquitur. Isai. 52. v. 6. *Dicit Dominus; Inquit tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Ierem. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter; & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus (Iehoua) iustus noster.* Vbi quamuis iam in Hebræo textu, à Iudæis, ad vim argumenti minuendam, rursus legatur aliter, videlicet, in singulari numero *likreo*, *vocabit eum*, vt ad Patrem referatur; latinus tamen interpretes, vt & Targum olim legerunt pluraliter, *likreu*, vel *likreuhu*, *vocabunt eum*, vt non possit non ad Messiam referri; de qua re plura Petrus Galatinus lib. 3. contra Iudæos capit. 7. & 17. Huc spectat illud Baruch 3. v. 36. *Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum, &c.* Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Mich. 5. v. 2. *Etu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

19 Quarta classis continet insignia quedam loca veteris testamenti, explicata in nouo testamento, iuxta quam explicationem Christus Iesvs ex MARIA virgine natus, expresse etiam vocatur Deus. Etenim I. Locum psalmi 44. v. 7. *Sedes tua Deus in seculum seculi*, de Christo interpretatur Paulus Heb. 1. v. 8. II. Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Vbi inter alia etiam legitur, v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* (naturali vtique & substantiali generatione) expresse ad Christum seu Messiam refertur. Matth. 22. v. 44. *Actorum 2. v. 34. Heb. 1. & 7. III. Locum Isai. 6. vers. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c.* explicat Ioannes cap. 12. v. 41. de Christo filio Dei, *Hac dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* IV. Locus Isai. 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, ab omnibus Euangelistis explicatur de Christo, Matth. 3. Marci 1. Luc. 1. Joann. 1. V. Illud Isai. 44. v. 6. *Ego primus, & ego nouissimus; ipse etiam Christus discipulo affirmat. Apocal. 1. v. 18. Omitto plura.*

20 Ceterum his locis, quicquid tergiversentur Sanctissimæ Trinitatis hostes, solidè ac firmiter probari diuinitatem Christi & filij Dei, ex hoc patet. I. Quia ita antiqui Patres, & vetus Ecclesiæ ea loca intellexerunt; quibus illi ipsi etiam contra

veteres Arianos ad hoc institutum probandum, vsi sunt, vt agnoscent etiam Aduersarij. 2. Quia non aliter, nec clarius ex Scriptura probari potest, ipsum etiam Patrem esse verum Deum, quam eiusmodi locis, quibus absolute verus Deus, Omnipotens, Creator asseritur, &c. cuiusmodi loca etiam de Christo filio Dei ante retulimus. 3. Quia ipsa loca sunt tam clara, vt seruato plano verborum sensu, ac sermonis proprietate spectatâ, nullâ tergiversatione eludi possint. Quemadmodum enim si quis diceret, Hæc substantia est verus homo, intelligeremus vtique propriè & substantialiter hominem esse; & si quis diceret, Hic est proprius, vnicigenitus, verus filius Pauli, intelligeremus vtique naturalem, adeoque consubstantialem eius filium esse; ita cum in præcedentibus locis audimus, *Hic est verus Deus, est Deus benedictus &c.* Item est verus proprius filius Dei, intelligere vtique debemus, substantialiter Deum, & naturalem consubstantialemq; filium Dei esse: quando absoluta nomina substantiæ de aliquo propriè non prædicantur nisi substantialiter. Plura asserit. 5.

21 Assertio III. Sed & Spiritus sanctus verè propriè, & substantialiter Deus, & persona diuina, est. Aduertendum, nomen Spiritus sancti, duobus modis vsurpari posse, primò essentialiter; quo modo aliquid commune est omnibus personis diuinis; quandoquidem vnaquæque & Spiritus, & sanctus Spiritus est; quod apud omnes extra controuersiam est; secundo notionaliter, pro certa persona in Trinitate, & hoc sensu intelligitur præsens assertio, quæ de fide etiam est contra Arianos, Euanomianos, & Macedonianos superiùs relatos.

Probat ex Scriptura. Primo quia sæpe in Scriptura homines vocantur templum Dei Spiritus sancti. 1. Corinth. 3. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Et 1. Corinth. 6. vers. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quo vtroque loco Spiritus sanctus aperte Deus dicitur. Accedit quod templum propriè non nisi Deo dicantur; cui soli sacrificium offertur.*

22 Secundo sæpe in Scripturâ vocatur Spiritus Dei; eique actio tribuitur intelligentis naturæ propria: qualis non nisi personæ, & supposito tribui solet. Et quid aliud est spiritus diuinus, vel Spiritus Dei, quam Deus?

Tertio speciatim huc faciunt hæc loca. 2. Reg. 23. vers. 2. ait David: *spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit Deus Israël mihi; locutus est fortis Israël, Dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.* Vbi idem dicitur Spiritus Domini, & Deus Israel. Item Act. 5. vers. 5. *Dixit autem Petrus, Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri se spiritum sancto? &c.* Non est mentis hominibus, sed Deo. Denique præcipua sunt, quæ de tota Trinitate adducuntur asserit. 5. Ex quibus omnibus efficitur, Patrem, Filium, & spiritum sanctum in diuinis esse vnus substantiæ, siue naturæ diuinæ; quandoquidem vna tantum est natura diuina, vnusque Deus. Nunc probandum est.

est, eos non obstante naturæ identitate, esse tres personas inter se distinctas.

23 Assertio IV. Filius in diuinis est persona eadem cum Verbo, & Christo Domino; distincta tamen à Patre & Spiritu Sancto. Tota assertio est de fide ex Scriptura, & Ecclesiæ definitione, ut patebit assert. 5. Et prima pars est contra Sabellianos, qui ut testatur Athanasius orat. contra Sabellij gregales, & Basilius Serm. contra eosdem, dixerunt, Verbum diuinum non esse rem subsistentem, sed simplicem quandam Dei conceptionem, de assumenda carne humana. In quo errore etiam fuerunt Valentiniani, ut ex Irenæo lib. 2. cap. 18. intelligi potest. Eundem errorem nostro etiam tempore renouarunt Michael Seruetus, & qui eum in Transyluania secuti sunt Trinitarij, Georgius Blandrata, Franciscus Davidis, & alij ut dictum. Accipitur autem in præsentibus Verbum diuinum, non figuratè, seu per metonymiam pro signo aut effectu verbi diuini, quo modo scriptum dicitur Verbum Dei; aut quo modo 1. Reg. 3. dicitur, *Ecce ego facio verbum in Israel.* & Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum: sed propriè pro illo vnico Dei Verbo, quod in principio erat apud Deum, Ioann. 1.*

24 Ex quo loco etiam probatur eadem pars assertionis, quando ibidem dicitur v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et v. 14. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Neque enim dubium esse potest, quin verè persona sit, & quidem eadem cum filio Dei, id quod est Deus; qui tanquam Dominus in mundum aduenit, ab aliquibus receptus, ab alijs non item; quod caro factum habitauit in nobis, & tanquam vnigenitus à Patre plenus gratia & veritate, signis videlicet & miraculis clarus, visus est; quæ omnia dicuntur de Verbo illo citato loco Ioann. 1.

25 Quo etiam tanquam firmissimo argumento, ad idem institutum probandum, contra veteres Trinitarios vno quasi consensu vsi sunt omnes SS. Patres; ut videre est apud Gregorium de Valentia cit. q. 1. p. 1. §. 2. Optime Irenæus lib. 1. cap. 1. contra Valentinum disserens: *Ioanne, inquit, vnum Deum exponente, & vnum vnigenitum Iesum Christum annunciante, per quem omnia facta esse dicit, hunc Verbum Dei, hunc vnigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eundem carnem factum, & habitasse in nobis affirmat. Et paulo post: Discite igitur in sensu, quoniam Iesus qui passus est pro nobis, qui habitauit in nobis, idem ipse est Verbum Dei. Et ante Irenæum Ignatius, epist. ad Magnesianos: *Filius est ipsius Patris Verbum, non prolatum, sed substantiale. Non enim locutionis articulata vox est, sed diuina efficacia substantia genita.**

26 Ex quibus etiam patet secunda pars assertionis, Filium in diuinis esse eandem personam cum Christo Domino; quod negant omnes illi, qui Christum solum hominem faciunt, quales olim fuerunt Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus,

& alij, ut suo loco in 3. parte fusius diceretur. Constat autem ex citato loco Ioann. 1. idem Verbum diuinum & vnigenitum Patris, Carnem factum habitasse in nobis: quod sine vlla dubitatione ad Christum refertur, ut ex totius capitis contextu euidenter est. De illo enim hoc dicit, per quem mox ait, veritatem factam, & quem à Ioanne demonstratum, & prædicatum esse docet; quem etiam apertè Iesum Christum vocat. Idem patet ex omnibus locis assert. præced. citatis, in quibus Iesus Christus Deus, & filius Dei vnigenitus, proprius, verus dicitur. Nam si Christus propriè & substantialiter Deus, atque adeo persona diuina est, si verus & proprius, adeoque naturalis Dei filius, necessàrio sequitur, Christum vnam & eandem personam diuinam esse, quæ est filius, & Verbum, cum filium & Verbum vnam & eandem esse personam, iam antea demonstratum sit.

27 Tertia pars de distinctione Filij à Patre & Spiritu Sancto contra Sabellianos nouos & veteres, probatur ex eadem Scriptura; quoties Verbum, seu Christus, Dei seu æterni Patris filius dicitur. Filius enim vtique est distincta persona à Patre. In quem sensum etiam Tertullianus lib. contra Praxeam: *Neque ipse mihi ero Pater, inquit, neque ipse mihi ero filius.* Idem patet de Spiritu Sancto ex Ioan. 16. v. 12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Vbi apertissimè Christus de Spiritu Sancto loquitur, tanquam de persona à se distincta. Plura pro hac parte adducuntur assert. seq. vbi coniunctim probantur tres personæ Trinitatis.

28 Assertio V. Sed & Spiritus Sanctus in diuinis est persona distincta à Patre: ac proinde in vna & eadem essentia diuina, tres sunt personæ diuinæ realiter à se mutuo distinctæ, Pater, Filius seu Verbum, & Spiritus Sanctus. Hæc est fides & doctrina Catholica, quæ in omnibus Symbolis proponitur. In Apostolico: *Credo in Deum Patrem, &c. Et in Iesum Christum filium eius, &c. Credo in Spiritum Sanctum.* In Nicæno: *Credo in vnum Deum Patrem, &c. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum. Et in spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre filioque procedit.* Et in Symbolo Athanasij disertissime. *Fides Catholica hæc est, ut vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremus, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, &c. quicquid noui Trinitarij hoc Symbolum velut apocryphum, contra veteris Ecclesiæ sensum temerè respiciant. Eadem denique sacræ Trinitatis veritas ex instituto definita fuit contra superius relatos hæreticos in Concilio Nicæno; ac postea in omnibus Concilijs constanter defensa & confirmata.*

29 Probatur præter dicta superius apertè ijs locis Scripturæ; in quibus coniunctim & distinctè omnes tres personæ diuinæ commemorantur. Primus locus est Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vbi sub proprijs nominibus omnes tres per-*

sonæ diuinæ distinctè exprimantur, eodemque loco ad idem propositum, vñ sunt omnes Sancti Patres.

Secundus locus est Ioann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* In quem locum Basilius serm. contra Sabellianos & Arianos: *Nonne, inquit, palam impudens es, cum audis, Ego de filio; ille de Patre; Alius de Spiritu sancto; & omnia tu misces, & omnia confundis, & vni rei omnes appellationes tribuis?*

30 Tertius locus est eod. cap. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumq; dixero vobis.* Vbi apertè rursus Christus de Spiritu Sancto loquitur, tanquam de persona à se, & à Patre distincta.

Quartus locus est Ioann. 15. v. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Vbi rursus tres personæ distinguuntur, Mittens filius, Spiritus sanctus qui mittitur, Pater à quo mittitur.

Quintus locus est 2. Cor. vlt. v. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis.* In quo loco Dei nomine intelligitur Pater, nomine autem Spiritus S. tertia persona Trinitatis, quandoquidem Deus hoc loco, vti & Spiritus S. distinguuntur à Christo.

31 Sextus locus est 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt.* Qui locus apertissimè simul & distinctionem personarum, & consubstantialitatem earundem, adeoque vnitatem essentiae exprimit. Tres enim ad personas pertinet; unum ad essentiam. Neque vero locus ille solum ita legitur in latinis Biblijs, sed etiam apud SS. Patres plerisque; imo & in ipso textu græco Regijs biblijs inserto: etsi Lutherus secutus fortè vestigia Erasmi in annot. ad eundem locum, & quorundam scriptorum & exemplarium vacillante indicio ductus, maluit eum locum in suis Biblijs prætermittere, quam certiore aliorum Codicum ac SS. Patrum fidem, & communem prioris Ecclesie traditionem atque usum, iam nunc etiam Concilij Tridentini ac Romani Pontificis auctoritate comprobatum sectando, adeo manifestus SS. Trinitatis assertor fieri. Omitto plura alia loca noui Testamenti, in quibus vbi de Patre, Filio, & Spiritu sancto sermo est, vsurpantur particulae, *Apud, Cum, De, Et;* quæ omnes distinctionem personarum significant.

32 Huc etiam spectant aliqua loca veteris Testamenti, in quo Trinitas personarum in Deo obscurius quidem exponitur, non tamen omnino taceatur. Primo enim Augustinus libro de Genes. ad lit. imperfecto cap. 1. item Origenes & Rupertus in cap. 1. Genes. vers. 1. prima statim verba Genesios, *In principio, cum illis, quæ paulo post sequuntur v. 2. Spiritus autem Domini ferebatur super aquas, &c.* ad S. Trinitatis mysterium referunt, vti idem sit, *In principio, quod in Verbo, seu Filio, per quem facta sunt omnia.* Ioan. 1. v. 2. *per spiritum autem tertia persona Trinitatis, hoc est, Spiritus*

sanctus intelligatur. Non malè, nec improbabiler; quicquid in contrarium cum nonnullis dixerat Vasquez 1. p. d. 108. cap. 2. Licet enim apud Hebræos nomen *Bereschit* ex vi vocis generatim principium, seu in principio significet, in hoc vero loco determinatè etiam principium temporis, iuxta Capit. *Firmiter de summa Trinit. & fid. Cathol.* vel simpliciter exordium rerum conditarum; nihil obstat tamen, hoc ipso nomine velut per excellentiam, etiam primam ex Deo procedentem substantiam, adeoque Verbum ac Vnigenitum Dei filium, *per quem fecit & secula*, Heb. 1. v. 2. intelligere; ad eum ferè modum, quo primogenitus in Scriptura dicitur principium liberorum, Deuter. 21. vel principium dolorum, Genes. 49. Quali etiam phrasi, in diuerso tamen rerum genere, vti- tur Scriptura, cum Behemoth principium viarum Dei appellat, Iob. 40.

Fauet huic sensui, quod Scriptura nō semel principij nomen Filio tribuit, Col. 1. v. 18. *Qui est principium.* Apoc. 3. v. 14. *Principium creaturae Dei.* Apoc. 1. v. 2. *Principium & finis.* Probabiliter etiam Ioan. 8. v. 25. *Principium, qui & loquitur vobis.* Nec quicquam repugnat, quo minus eiusdem Scripturae loci plures sint sensus literales, vti in eum ipsum, Scripturae locum sapienter scripsit Augustinus, lib. 12. Confess. cap. 30, & 31. & suo loco superioris dictum disp. 1. quaest. 5. dub. 2.

Secundo multi etiam egregiè docti, in quibus Magister, alijque Scholastici in 2. sent. d. 1. item Burgensis in Genesin, Lyranus ibidem & opuscul. de Trinit. Galatinus lib. 2. de arcanis Cathol. yerit. cap. 9. Catharinus contra Caietanum lib. 4. Salmeron tom. 1. proleg. 10. quinquag. 2. con. 8. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 2. ad Trinitatis mysterium referunt illa, quæ in eodem capite Genesios paulo post subsequuntur verba v. 1. Vbi enim nos legimus, *Creauit Deus* textus hebraicus habet, *Bara, Elohim;* quod si verbum verbo reddas, idem est, quod *Creauit Dy:* quasi hac posteriori voce Moyses pluralitatem seu Trinitatem personarum diuinarum; illa vero priore vnitatem essentiae voluerit significare: tametsi alij, in quibus Abulensis, Caietanus, Pererius, Delrius, Bellarminus lib. de Christo cap. 6. & Vasquez cit. disp. 108. cap. 2. hanc phrasin omni mysterio vacare rati, eam ad solum hebraicæ linguæ idiotismum referunt. Ego vero idiotismum agnosco, in eo, quod Deus communiter apud Hebræos non singulariter *Eloah,* sed pluraliter (quod in alijs linguis non licet) *Elohim;* sicut etiam non *Adon,* sed *Adonai* dicitur: hoc ipso vero idiotismo, ex Dei eius linguæ auctoris mente, pluralitatem diuinarum personarum, licet obscurè, significari probabiliter existimo. Incredibile n. videretur, linguam omnium simplicissimam ac maximè propriam, plurali numero plerumq; Deū fuisse expressuram, nisi quædā in Deo personarū pluralitas esset. Min⁹ credibile, Moysen contra consuetam alioqui etiam Hebræorum syntaxin, statim secundo sui operis verbo, ac in re tanta vbi pluralitas numeri maiestati seruire poterat, singularem verbi cum plurali nominis fuisse iuncturam, si etiam naturæ in Deo pluralitas esset.

35 Tertio ad institutum hoc probabiliter referuntur verba Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: eo quod Deus ipse, quasi inter se consilio habito, pluraliter de se loquatur. Quo sensu ad mysterium Trinitatis probandum, hoc loco vtuntur Origenes, Basilus, & Chrysostomus in eum locum, Ambrosius ibidem, & in lib. de dignit. hum. condit. Athanasius orat. contra Idola, Eusebius lib. 1. hist. cap. 1. Epiphanius in Anchorato, Augustinus lib. de Genes. ad lit. imperfect. loc. cit. & de ciuit. Dei lib. 16. c. 6. Cyrillus lib. cont. Julian. Theodoretus q. 19. in Genes. Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 1. Galatinus, Salmeron, & Delrius loc. cit. nec repugnat Vasquez loc. cit.

36 Quarto huc spectat illud Genes. 19. versu. 24. *Plus Dominus super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem a Domino de calo*. Vbi pro *Dominus a Domino*, hebraicè legitur *Iehoua meeth Iehoua*, hoc est, Deus de Deo; quod sine multiplicatione personarum, propriè intelligi non potest. Quo testimonio etiam in eundem sensum vtuntur Ignati<sup>9</sup> epist. ad Antiochenos, Iulianus dialog. cum Triphone, Tertullianus lib. contra. Max. cap. 16. Athanasius orat. cont. Sabellian. Hilarius lib. 5. de Trinit. Epiphanius in Anchorato, Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 11. Galatinus cit. lib. 2. cap. 9. & consentit Vasquez loc. cit. contra Dionysium Carthusianum & Varablum. Omitto, quod in Concilio Sirmienfi (non legitimo, sed Ariano, apud Hilarium lib. de Synod. & Socratem lib. 2. c. 27.) can. 13. 16. & 17. damnantur illi, qui dixerint, Genes. 1. cum ait scriptura, *Faciamus hominem*, Patrem ad seipsum esse locutum: & qui negauerint Genes. 19. cum dicitur, *Plus Dominus a Domino*, de filio & Patre esse intelligendum.

Quinto tres etiam Viri Abrahæ apparentes, & ab eodem singulari numero reuerenter consalutati, verbis illis Genes. 18. v. 4. *Domine si inueni gratiam in oculistuis*, iuxta communem SS. Patrum expositionem, apud Rupertum & Pererium loc. cit. SS. Trinitatis mysterium rectè adumbrasse videntur. A quibus etiam originem sumit celebre illud & peruulgatum dictum, *Tres vidit & vnum adorauit*. Bene Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. *Cum tres*, inquit, *viri visi sunt, nec quisquam eis vel formam, vel aetate, vel potestate maior ceteris dictus est, cur non hic accipiamus visibilibus insinuatam per creaturam visibilem, Trinitatis aequalitatem, atque in tribus personis vnã eandemque substantiam*. Qui etiam ibidem infra cap. 12. similem Lothi ad duos Angelos sermonem Genes. 19. v. 18. ad duas personas vnius essentiae, Filium & spiritum sanctum refert.

37 Sexto huc in primis etiam spectat Trifagios hymnus, quem primo SS. Trinitati cecinerunt Seraphim Isai. 6. v. 3. in hanc formam, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius*. Iterarunt deinde quatuor animalia, quæ requiem non habebant, die ac nocte dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*, Apocal. 4. v. 8. Communi denique ac solenni vsu miraculo cœpit prælucente, recepit vniuersa tam latina,

quam græca Ecclesia, cum in hunc modum personat: *Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis*; vt videre est apud Epiphanius in Anchorato, & Damascenum lib. 3. Orthod. fid. cap. 10. & epist. de Trifagio, vbi ait: *[Quid causâ est, quamobrem Seraphim, nec bis, nec quater, sanctus dicant? Annon vt trium personarum numerum significent, in vnã diuinitatem & dominationem coeuntium, &c. Ternarius quippe numerus, vt idem inferius ait, tria significat, vnitas autem vnũ. Quapropter sanctus, sanctus, sanctus, & ter sanctus, quia tres personæ; Dominus autem, quia tres personæ Deus sunt, &c. Nam quod non de filio diuinitatè inquit idem lib. 3. orth. fid. cap. 10. sed de sancta Trinitate dictus sit ille ter Sanctus hymnus, testantur Diuus & sacer Athanasius, Basilus, & Gregorius, ac totus diuino Numine afflatorum Patrum chorus: nempe quod sancta illa Seraphim per triplicem sanctitatem, tres superessentialis Trinitatis personas nobis subindicerent; per vnã autem Dominationem, vnã diuinã Trinitatis substantiam imperiumque declarent.]*

38 Atque ob hanc ipsam etiam causam tantopere sibi inuigilandum censuerunt SS. Patres, ne tantum mysterium adulterina quadam additione ab hæreticis deprauaretur; reiecta speciatim illa Petri Cnaphæi appendice, quam ad Trifagion Ecclesiæ assuerat, dicendo, *Querens vixisse pro nobis, miserere nobis*, vt videre est apud Damascenum loc. cit. & in synod. Constantinopolit. V. a. 1. & apud Nicephorum lib. 4. cap. 46. Omitto cetera Prophetarum vaticinia, quæ præter personam Patris, passim etiam personæ filij meminerunt; cuius generis aliqua iam superius assertio, secunda retulimus.

39 Assertio VI. Non sunt plures personæ diuine, quam tres. Ita omnia Concilia, omnia symbola fidei, omnia scripturæ testimonia, pro Trinitate personarum assert. præced. allata. Ratio principijs fidei nixa sumitur ex S. Thoma hic q. 30. a. 2. *Quia personæ in diuinis constituuntur secundum multiplicationem relationum realium oppositarum, realiter inter se distinctarum, quales sunt tantum tres; nimirum Paternitas, Filiatio, & Processio, seu spiratio passiuã; quæ propterea etiam dicuntur proprietates personales, vt dicitur quæst. 3. Quamuis enim præter tres illas relationes reales, sit adhuc alia, quæ dicitur spiratio actiua, quia tamen hæc non opponitur Paternitati & Filiationi, idcirco realiter non distinguitur ab illis; nec adeo potest personam ab eis distinctam constituere; sed est relatio communis, & eadem cum persona Patris & Filij, vt dicitur ibidem.*

40 Alia ratio sumitur ex S. Thoma q. 27. a. 1. & 4. *Quia non sunt pauciores quidem personæ in diuinis, quam sunt processionis reales in ipso Deo, siue ad intra: hæc autem sunt duæ, vt tum ex scripturis liquet; tum ex eo conuenienter suadetur. Quia processionis ad intra in Deo esse non possunt, nisi secundum operationes immanentes; respondentes quasi diuersis potentijs operationis ad intra: siquidem per operationes transeuntes,*

hoc ipso, quod extra Deum feruntur, à Deo non procedunt, nisi creatura, quod euidens est: atqui duæ tantum sunt diuersæ eiusmodi operationes immanentes, nimirum actus intellectus & actus voluntatis, vt patet; quia actus potentia executiua, quam in Deo cum S. Thoma ratione distinctam ab intellectu & voluntate posuimus, solum sunt actus transeuntes: Ergo duæ sunt in Deo processionis, adeoque personæ: & quia hæ necessario supponunt personam, à qua procedant, necessario præter duas personas procedentes, assignanda est tertia, à qua illæ procedant, iuxta ea, quæ dicentur quæst. seq.

41 Assertio VII. Personæ tres in diuinis à se mutuo recipi; atque etiam realiter distinguuntur. Ita docent omnes Scholastici; & prior pars est de fide, vt bene notauit Suarez lib. 3. cap. 1. num. 2. quam definiunt: omnia Concilia, ipsaque Scriptura tradit hoc ipso, quod absolute & simpliciter doceant personas esse plures, vnamque personam non esse aliam; item ab vna procedere aliam. Quod vero illa distinctio dicenda sit realis, etsi non inueniatur sub hac voce tractatum à Patribus, aut à Concilijs definitum, sufficienter tamen continetur in his ipsis locutionibus, quas diximus esse definitas, vt proinde merito etiam censetur de fide, vt notauit idem Suarez loc. cit. Nam realiter aliqua distingui non est aliud, quam esse veras res, quarum vna non est alia. Idem patet ex processione reali ac substantiali; vti & ex relationibus realibus oppositis, quæ processionibus respondent; quorum neutrum esse potest nisi inter res realiter distinctas.

42 Addit S. Thomas quæst. 30. art. 3. terminos numerales, puta dualitatem, Trinitatem, aut etiam ipsam pluralitatem in Deo, nihil addere formaliter etiam secundum rationem supra ipsas vnitates; sed solum negationem diuisionis circa vnamquamque rem: quod etiam ipse S. Thomas pariter de omnibus rebus spiritualibus docet; ne videlicet numerum seu multitudinem eiusmodi rerum in prædicamento quantitatis constituere cogatur; idemque communiter sequuntur Thomistæ ceteri, speciatim Caietanus, & Torres ibidem, Capreolus dist. 24. quæst. 1. art. 2.

43 Sed quicquid sit de ratione formali numeri; certè pluralitatem rationem formalem positiuam significare, & superaddere vnitatibus secundum se spectatis, in omni materia, videtur verius, vt docent Bonaventura in 1. d. 24. artic. 2. quæst. 1. Durandus quæstione 1. Marfilus quæst. 27. artic. 1. & sequitur Vasquez disput. 129. capite 2. idque ob eam vel maximè rationem, quod vnum & multa aut opponantur contrariè, vt idem Vasquez cum alijs existimat; aut opponantur priuatiuè, ita, vt vnum formaliter sit priuatio diuisionis, vt docet S. Thomas ibidem, & supra quæstione vndecima, art. 1. & 2. & Thomistæ alijsque recentiores communiter: fieri ergo non potest, vt multitudo quoque formaliter dicat priuationem. Plura vide supra disputatione secunda quæst. 5. dub. 3.

Atque hæc summatim est fides Catholica de sanctissima Trinitate; qua ferè nituntur cetera,

quæ deinceps de ea trademus. Restat nunc, vt argumenta potissima, quæ contra hoc mysterium obijciuntur, dissoluamus; quod sequenti dubio faciemus.

#### DVBIVM IV.

### Qua ratione dissoluenda sint obiectiones, contra sanctissimam Trinitatis mysterium pugnant.

S. Thomas 1. p. q. 30.

Pertinet quidem hæc res ad dubitationem præcedentem; sed nimia prolixitatis ac tædij vitandi causa, seorsim à nobis expedietur. Possunt autem omnia argumenta contra Trinitatem diuinarum personarum ad duas classes reuocari. Quibusdam enim directè impugnatur pluralitas diuinarum personarum; alijs consubstantialitas earundem inter se, adeoque identitas cum essentia diuina. Ex vtrisque potissima feligemus.

Contra pluralitatem diuinarum personarum obijcitur primo Scriptura, in qua Deus dicitur solus, vt Deuter. 32. *Videte quod ego sum solus.* Et lib. 2. Esdræ cap. 9. v. 6. *Tu ipse Domine solus, tu fecisti caelum, & caelum caelorum.* Et 1. Tim. 1. *Regi seculorum immortalis, inuisibilis, soli Deo honor, &c.* Qui autem solus est, solitarius est, & non habet consortium personarum eiusdem naturæ.

Respondetur ex doctrina S. Thomæ quæst. 31. artic. 3. voculam *solus* dupliciter accipi posse, primo categoricè, vt per se peculiare prædicatum constituat; quo modo idem est quod *solitarius*; & ita etiam solet *solus*, hoc est, vnicus: secundo accipi potest syncategorematicè, prout significat solum modificationem prædicati vel subiecti, seu vt loquitur Sanctus Thomas, *prout importat ordinem prædicati ad subiectum*: quo modo dicimus, solus Socrates scribit, hoc est, nemo præter illum scribit, etiamsi plures illi scribenti præfentes sint. Atque hoc solum posteriori modo ac sensu vocula *solus* additur nomini DEI, seu termino essentiali in diuinis, vt sensus sit, nullum præterea alium esse DEVM, præter vnum, ac verum DEVM; aut solum DEVM creare, diuinoque honore dignum esse; non autem rem vllam aliam, quæ non sit Deus. Quo modo etiam in priori loco Scriptura seipsam explicat, quando mox subiungit; *Et non est alius Deus præter me.*

Secundo obijcitur. Non minus videtur implicare contradictionem, esse plures personas diuinas, quam esse plures Deos; siquidem hoc præterea implicat, quia vnus alterius perfectione careret, atque ita non quilibet esset infinitus: hoc autem eodem modo sequi videtur: nam si vna persona ab altera realiter distinguitur, ergo vnaquæque caret perfectione alterius, per quam ab altera distinguitur, hoc est, relatione siue proprietate alterius personali; alias enim ab illa

non.



non distingueretur: siquidem ob hoc ipsum etiam una persona non est alia, &c.

Respondetur, negando primum assumptum; vt ex fide constat. Ad probationem respondetur, diuersam esse rationem plurium Deorum, & plurium personarum in vna Deitate. Si enim plures essent Dij, tunc non modo singuli personalitatem, sed etiam naturam distinctam haberent; ac proinde nec ratione personalitatis, nec ratione naturæ haberet vnusquisque perfectionem propriam alterius: at vero hoc ipso quod personæ sunt quidem ratione personalitatis distinctæ; at vero in natura idem profus, eademque simplicissima entitas, ideo simpliciter & absolute loquendo, vna non caret perfectione & realitate alterius: licet enim eam non habeat ratione suæ personalitatis, siue prout secundum personalitatem ab altera distinguitur, eique opponitur, habet tamen in sua natura, seu prout est vnum in natura cum altera persona: quod sufficit ad infinitatem absolutam & simpliciter dictam vnus cuiusque personæ: siquidem perfectio & infinitas vnus cuiusque personæ non solum defumitur, ac estimanda est ex infinitate seu perfectione proprietatis personalis, sed vel maximè etiam ex perfectione essentia; cum essentia sit de ratione intrinseca personæ.

4 Quæ de causa etiam Sanctus Dionysius cap. 2. de diuin. nom. ait, diuinas personas esse conuinctas in vnum discretè, & discretas conuinctim. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in sancta. lumina, distingui Deum indistinctim, & conuicti distinctim: Et Sanctus Athanasius oration. 4. contra Arian. ait: Quicquid est filius, id vnuersum esse proprium (siue intrinsecum) substantiæ Patris, &c. iuxta illud CHRISMA Ioann. 14. versu decimo. Ego in Patre, & Pater in me. Et Ioann. 17. versu decimo. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Et rursum oratione contra Sabellij gregales: Filius, inquit, identitatem habet cum Patre, & tamen ipse interim Pater non est: sed vnus (seu vnum) natura cum Patre.

Dices. Aut Pater habet in sua natura filiationem; etiam vt filiatio est, seu vt relatiue opponitur paternitati, ab eaque re ipsa, à natura vero diuina ratione distinguitur; aut non habet: si non habet; ergo caret formali perfectione filiationis, quæ filiatio est; si habet, ergo poterit Pater ab ea perfectione denominari filius, saltem identicè.

5 Respondet, Patrem per identitatem in natura habere filiationem, etiam vt filiatio est; siquidem filiatio, etiam vt filiatio, tanquam vltimus quasi terminus nature, est ipsa natura diuina, quam Pater habet. Neque tamen ipsa natura diuina dicitur filius, nisi per identitatem: licet ne hoc quidem modo Pater dici Filius possit. Ratio diuersitatis est; quia natura diuina ita habet filiationem per identitatem, vt ab ea re ipsa nullo modo distinguatur; ac vero Pater per identitatem in natura diuina habet quidem filiationem; sed ita, vt simul secundum suam hypostasin, qua Pater est, à filio realiter distinguatur: quare natura quidem diuina identicè filius dici potest, Pater absolute loquendo non item.

Vrgebis; hoc ipsum tamen est cuiusdam perfectionis, habere filiationem formaliter, non tantum per identitatem in natura, sed etiam ratione hypostasis per formalem denominationem; ita vt persona illa vere & propriè sit filius: quam tamen perfectionem non habet Pater, vt dictum. Ergo Pater non habet omnem perfectionem formaliter, quam habet filius: ac proinde non est ens simpliciter infinitum.

6 Respondet, concessio antecedente, negando postremam consequentiam. Quia ad Ens simpliciter infinitum non requiritur, vt habeat omnem perfectionem formaliter, etiam illam, quæ esse potest in Ente infinito; sed vt formaliter habeat omnem perfectionem simpliciter simplicem, formaliter autem vel eminenter, siue æquiuallenter, omnem aliam perfectionem; quod fit in proposito. Quia filiatio, vt & aliæ proprietates personales, non sunt perfectiones simpliciter simplices: satis est ergo, vt Pater, etsi formaliter ac re ipsa non sit filius, habeat tamen tum ipsam filiationem, per naturam identitatem; tum aliam proprietatem personalem æquiuallentem, à qua sit & denominetur persona diuina; nimirum ipsam paternitatem, quæ nec magis, nec minus perfecta est, quam filiatio, vt pluribus dicitur questione tertia, dubio quarto. Idem de quavis alia proprietate personali dicendum est; comparata ad eam personam diuinam, cui opponitur, & à qua distinguitur. Omitto aliam responsionem Scoti, quæ negat relationes ac proprietates personales in diuinis formaliter esse perfectiones: quæ sententia questione 3. excutienda & refutanda erit.

Dices. Eodem modo defendi posset infinitas plurium Deorum: etiam si vna persona non haberet propriam personalitatem alterius, nec in natura quidem identificatam.

7 Respondet, negando assumptum: quia ad hoc, vt æquiuallenter habeatur personalitas alterius personæ, præter personalitatem, quæ sit æqualis perfectionis, requiritur, etiam, vt natura sit eadem: alioquin enim & diuersa erit potentia vtriusque; & non infinita: quia neutra poterit impedire aut irritare opus alterius.

Tertio obieitur. Aut pluralitas personarum est necessaria in ente infinito, vel non. Si non: ergo male ponitur in DEO; qui secundum totum suum Esse est ens necessarium: si necessaria est, ergo etiam in quavis persona diuina, vt persona est, esse debet; cum qualibet persona sit Ens simpliciter infinitum.

8 Respondetur, esse planè necessariam (vti ex reuelatione didicimus) tum in Ente infinito adæquatè, & secundam totam suam latitudinem perfectionis spectato, ita vt ipsum illud Ens infinitum, quod est Deus, non solum identicè sit Trinitas personarum; sed etiam personæ singulæ de eo; illudque de personis singulis formaliter prædicetur; tum etiam in qualibet persona, spectata non quidem præcisè secundum suam personalitatem, sed secundum essentiam in qua vnaquæque necessario sibi identificat tres

perfo-

personas; licet ob mutuam earum inter se oppositionem & distinctionem, absolute loquendo, ut antea dictum, una persona non sit alia; ac proinde nec una omnes tres; si enim hoc esset, iam non esset pluralitas; quæ non nisi ex pluribus unitatibus potest consistere. Quæ ratione etiam dicendum est, unitatem essentia cum unica hypostasi non sufficere ad terminandam adæquatè naturam diuinam; ac proinde nec ad omnia; quæ sunt necessaria in Ente simpliciter infinito, adæquatè spectato; etsi nos quidem eam huius infiniti perfectionem non cognouissemus, nisi reuelatio antecessisset.

9 Quarto obijcitur. Aut personæ diuinæ, quæ plures sunt & distinctæ, ununtur inter se saltem in essentia; aut non. Si non; ergo sunt solum Ens vnum per aggregationem, neque sunt vnum in essentia: si autem ununtur in essentia, ergo essentia diuina est composita ex pluribus entitatibus, neque est ens vnum per se, sed per aggregationem; quia ex pluribus in actu perfectis non potest constare vnum per se iuxta Philosophum.

Respondet, personas diuinas inter se non uniri; sed vnum esse in essentia: quo fit, ut neque ipsæ sint vnum solum per aggregationem, sed vnum substantialiter, vnaque simplicissima entitas essentia diuinæ: neque essentia diuina sit composita, aut ens per accidens: quia compositio non est nisi ex pluribus inter se unitis, quæ plura sunt; nec ens per accidens est, in quo est omnimoda plurium identitas. Aut ergo personæ diuinæ comparantur præcisè inter se secundum suas personalitates, aut comparantur cum natura diuina; neutro modo compositionem faciunt; quia secundum ipsas præcisè personalitates, & abstrahendo ab essentia, non sunt aliquid vnum; in essentia vero non sunt aliquid distinctum; cum tamen ad compositionem requiratur, & distinctio plurium; & initio eorundem, ex qua consurgat unitas totius.

10 Quinto obijcitur. In diuinis nihil est, quod non sit à parte rei de intrinsecatione & quidditate essentia diuinæ: pluralitas personarum diuinarum non est: si enim esset, sequeretur, de nulla persona affirmari posse, quod sit essentia diuina; siquidem nulla persona est tres personæ, ut superius dictum.

Respondetur negando minorem. Ad probationem itidem negatur sequela; ad rationem respondetur; etsi personæ quidem identicè idem sint cum essentia; non tamen de personis singulis prædicari posse, quicquid prædicatur de essentia, ob virtualement essentia, & proprietatum personalium distinctionem, quæ æquivalent pluribus re distinctis: quo fit, ut in præsentis locum non habeat pronuntiatum illud; *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ut inferius dicitur. Quo sensu etiam Gregorius Nazianzenus oratio quinta, de Theolog. dixit: *Filius non est Pater, sed quod Pater: nec spiritus sanctus est Filius, sed quod Filius. Atque ita inconfusa trium personarum distinctio, in una diuinitatis natura conseruatur.*

11 Contra identitatem vero diuinarum persona-

rum, in eadem essentia diuina, obijciuntur initio quædam Scripturæ loca; ac primum illa, quibus significatur, Verbum & Sapientiam diuinam, adeoque Filium, esse creaturam. Eccli. 24. *Ab initio creata sum.* Et: *Qui creauit me, requiescit in tabernaculo meo.* Addebant Arriani veteres illud ex Prouerbior. 8. *Dominus creauit me in initio viarum suarum, &c.*

Respondetur, in citato loco Prouerb. 8. legendum, *Dominus possedit me*, ut latinus textus habet, & notarunt iam olim Epiphanius hæresi 69. & Basilii libro secundo cont. Eunom. Nam hebraicè legitur *Kanah*, non *Barah*. Verbum autem possidendi, iuxta Scripturæ phrasin, refertur ad naturalem generationem, iuxta illud Genes. 4. *Possidit hominem per Deum.* Et in eodem loco Prouerb. 8. diuina Sapientia de seipsa loquitur, *Ego iam concepta eram, Ante omnes colles ego parturiebar.* In alijs locis verbum *creandi* latè sumitur, non pro productione ex nihilo, sed ex nulla præsupposita materia; quando alias multo frequentius filij productione generatio vocatur, ut superius vidimus. Exprimunt autem Scriptura filij productionem, ob pleniorum significationem, utroque nomine, ut benè Hilarius lib. de synod. Priori quidem figuratè, ob dictam causam; posteriori autem propriè, ad significandam filij consubstantialitatem cum Patre. Accedit, quod etiam communi loquendi vsu generatio filiorum *procreatio* dicitur. Dici etiam potest, hæc pertinere ad Christum secundum humanitatem; ad quam sane referendum necessario videtur illud ibid. v. 12. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: ut exponit etiam glossa interlinearis.* Et v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Nisi dicamus, etiam voculam *precepti* accipi in propriè, pro efficaci decreto & voluntate.

12 Secundo obijciuntur illa loca, in quibus filius significatur esse minor Patre; ut Ioannis 14. *Pater maior me est.* I. Cor. 15. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, &c.*

Respondetur cum Sanctis Patribus, hæc & alia similia intelligenda esse de CHRISTO, secundum Humanitatem, ut pluribus persequitur Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theolog. sub finem. Benè etiam Athanasius libro cont. Apollinarium: *Hæc, inquit, humana verba humilitatis filij DEI, ideo ad constituendam suam blasphemiam heretici detorqueunt; quia nolunt attendere Apostolo, de Christo ad Ephesios capite tertio dicenti, quod propter nos, cum diues esset, factus est pauper, ut nos illius inopia diuites fieremus.* Est ergo hæc omnium Sanctorum Patrum regula tenenda, ut humilia eiusmodi, quæ dicuntur de Christo, attribuiamus ei secundum humanitatem, quæ reuera paulo minor est etiam Angelis; non autem secundum diuinitatem, quæ vnum est cum Patre.

13 Tertio obijciuntur ea loca, in quibus dicitur, Filium & Spiritum sanctum mitti à Patre; missio autem imperium & superioritatem significat. Respondetur, non solum inferioribus à superioribus mitti, sed quandoque etiam æquales ab æqualibus. Quare in proposito missio personarum in diuinis non inæqualitatem, sed originis ordinem signifi-

car. Mitti enim ab alia dicitur illa persona, quæ ex vi personæ alterius à qua procedit, incipit esse seu operari alicubi nouo quodam modo, quo antea non erat, vt pluribus dicitur quæstione quarta, dub. 9.

Quarto obijcitur, quod nonnunquam solus Pater dicitur esse Deus, vt Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et 1. Corinth. 8. Nobis vnus est Deus Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, &c.

14 Respondetur ex communi doctrina Patrum, quando per particulam aliquam exclusiuam fit exclusio à diuinis prædicatis, id ad eos tantum, qui falso dicuntur *Dij*, referendum esse, vt loquitur Basilius lib. 4. cont. Eunom. in fin. non autem ad ceteras personas diuinas; tum quia omnes vnus sunt in essentia cum Patre; tum quia Pater non potest esse *DEVS* sine suo verbo, atque spiritu, vt bene Athanasius epistol. ad Serapionem. Addit Sanctus Thomas quæst. 3. art. 4. ad 1. ex Augustino libro 6. de Trinit. capite 5. illud Ioann. 17. intelligi etiam posse, non de sola persona Patris, sed de tota Trinitate; intelligendo nimirum quod sequitur, de missione Filij secundum naturam humanam, iuxta ea, quæ dicuntur quæst. 4. dub. 9.

15 Deinde vero ex ratione obijcitur. Si Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus in essentia diuina, sequitur, etiam esse vnã personam, vel contra; quod varijs modis probatur. Primo hoc syllogismo expositorio: Hæc essentia diuina est Pater; hæc essentia diuina est filius: Ergo Filius est Pater. Idem argumentum fieri potest de Spiritu sancto comparato cum Patre & filio; vt & de relationibus cum essentia comparatis.

Secundo. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed Pater, Filius & Spiritus Sanctus, secundum suas proprietates personales, sunt re ipsa eadem vni tertio, quod est essentia diuina, ex hypothesi: Ergo sunt eadem re ipsa inter se: ac proinde etiam vt personæ sunt, & secundum suas proprietates personales, re ipsa inter se non distinguuntur: quod est contra fidem.

16 Tertio. Omnis res vna numero in essentia, est vna tantum etiam in personis; vt inductione patet: sed Deus est vna res numero in essentia, ex hypothesi; Ergo est etiam res vna tantum in personis.

Quarto. Quodlibet est, vel non est. Item, De eodem non est verum idem affirmare & negare. Ergo impossibile est, vt vna & eadem simplicissima essentia diuina, à parte rei sit plura, scilicet plures personæ, & simul non sit plura, sed vna simplicissima entitas. Item, vt personæ diuinæ à parte rei sint plures & inter se distinctæ, & simul sint vnus quiddam prorsus indiuisum & indistinctum, nempe ipsa essentia diuina. Aut ergo non sunt plures personæ in diuinis, aut certè etiam sunt plures essentia.

17 Ad hæc & similia argumenta Respondetur primo generatim, ea omnia aut peccare in forma; quod tunc præcipue accidit, cum termini non rectè distribuuntur, & qui communis est, aut

vim communis termini habet, sumitur pro singulari; vt est *Essentia diuina*; vel certe peccare in materia; quod tunc fit, cum assumitur aliqua propositio vniuersalis, collecta ex inductione omnium rerum creaturarum ad oppugnandum hoc mysterium fidei: quæ proinde hoc sensu, & cum hac extensione rectè negatur. Tum quia incredibile videri non debet, aut impossibile, si quod in omnibus rebus creatis verum cernitur, in Deo, qui infinitis modis res omnes creatas excedit, verum non inueniatur; sed potius ille sibi proprium, quiddam in ea re vendicat: cum & in rebus creatis, quæ tamen tanto inter se intervallo non distident, sæpe cernatur aliquid omnibus commune; quod vni tamen soli non competat; V. G. vnus aliquem coruum esse album, cum reliqui omnes sint nigri. Tum quia per communia fidei nostræ motiua euidenter credibile fit, id quod per fidem proponitur, quantumuis abstrusum, & à naturali ratione in speciem abhorrens, esse verum; & ex consequenti falsum, quicquid eidem opponitur, & aduersatur: ita vt euidenter sit credibilitas mysterij; non autem veritas; aut oppositi falsitas, vt pluribus dictum supra disputat. 1. quæstione 5. dub. 5.

Hispositis, secundo Respondetur sigillatim ad singula. Ad primum ex communi dicendum est, Syllogismum illum esse Sophisticum & fallacem, non expositorium; similem huic: Socrates est animal; Plato est animal: Ergo Plato est Socrates. Quare in forma neganda est consequentia. Ratio est: quia *Hæc essentia diuina*, qui est medius terminus, non est plene distributus; & quamuis singularis sit, & vna numero res, æquiualeat tamen termino & rei communi; eo quod ita singularis sit, vt sit etiam communicabilis pluribus, & plura realiter. Medius autem terminus in syllogismo expositorio non solum debet significare quamcunque rem singularem, sed ita singularem, vt non æquiualeat vniuersali aut communi: Omitto ineptam Sectariorum responsonem, qui dicere solent, formam & regulas syllogisticas in diuinis fallere, vt dictum in Examine Huñianæ Relationis de Colloquio Ratisponensi cap. 9. quod etiam perperam quosdam Catholicos respondisse refert Vasquez disp. 122. cap. 3.

18 Ad secundum Respondetur, veram esse maiorem, quando illud tertium prorsus est & singulare, & incommunicabile; adeoque ex sua ratione habet tantummodo vt sit re vnus; si autem non habeat solum, vt sit re vnus, sed vt sit quoque re plura, & communicabile pluribus, non est vera maior; perimeretur enim & tolleretur hac ratione natura illius tertij. Ita vero in præsentem accidere ex fide constat: quia essentia diuina est quidem aliquid re vnus, absolutum videlicet, & in ratione essentia; simul tamen etiam est re plura respectiua, seu plures personæ diuinæ. In quem sensum etiam Molina quæstione 28. articulo secundo, disputatione secunda & tertia rectè concedit, principium illud generatim procedere tam in diuinis, quam in humanis, si debite explicetur, & intelligatur de tertio, quod & singulare sit, & penitus incommunicabile; alias

esse pseudographum. Quod si maior plane vniuersaliter accipitur, & sine limitatione, falsa est: neque valet inductio ex rebus creatis, quia diuersa est ratio in diuinis, vt dictum est, & ex fide constat.

20 Quo sensu etiam Gregorius de Valentia quest. 2. punct. 4. Suarez lib. 4. c. 3. & Vasquez disp. 122. cap. 2. & tandem etiam Albertinus tom. 1. princip. 7. corol. 1. num. 6. respondent, principium illud vniuersim sumptum, & in diuinis, non habere locum, ob singulare & illimitatum esse diuinae essentia; quae etsi reipsa vna entitas sit, aequiualeat tamen pluribus, imo reipsa quoque plura est, nimirum tres personae, simulque infinite distat à rebus creatis, ex quarum inductione solum vti Principium illud collectum est, ita inter limites eisdem contineri debet, &c. S. Thomas q. 28. a. 3. ad 1. responder, axioma procedere de his, quae sunt re & ratione eadem vni tertio. Quomodo autem, formae ac modi Syllogismorum per se non nitantur hoc principio, sed illo, *Dici de omni, & Dici de nullo*, videri poterit apud citatos.

21 Ad tertium Respondetur, maiorem veram esse, in rebus creatis, ex quibus sumpta est inductio; falsam in diuinis, de quibus alii fides docet. Cuius simile etiam circa Incarnationis Mysterium accidit, quo fit, vt in Christo sint duae naturae perfectae & completae, & vna tantum persona: quod itidem in nulla re creata accidit.

Ad quartum Respondetur, axiomata illa sic intelligenda, vt non affirmetur idem de eodem, eadem ratione, & secundum idem: quod etiam in proposito accidit. Quia de eadem simplicissima entitate diuina affirmatur, quod sit multa, & vnum; seu multa, & non multa, non eadem, sed diuersa ratione; nimirum multa relatiua, seu multae personae; vnum autem absolutum, seu vna essentia: quantumuis essentia & personae inter se non nisi ratione differant.

22 Si quis dicat, hoc ipsum esse impossibile, vt vna & eade à parte rei simplicissima ac indiuisibilis entitas sit simul re vna entitas, & plures entitates, in quocumque etià diuerso genere entis, praesertim si interim plures illae entitates non nisi ratione differant ab illa vna entitate: Respondendum est, id non esse impossibile, quando vnum illud, seu vna illa simplicissima entitas, etsi ratione tantum differat à pluribus, ita tamen ab ijs virtualiter distinguitur, vt simul aequiualeat pluribus realiter distinctis: quod hoc loco accidit, quia entitas essentiae diuinae ratione quidem tantum, sed simul tamen etiam ita virtualiter distinguitur à personis diuinis, vt ob singularem eminentiam, aequiualeat etiam pluribus re distinctis. Pari ratione possunt tres personae, secundum suas proprietates personales, reipsa vnum esse in essentia, & simul tamen plura respectiua, seu plures personae; quantumuis haec plura non nisi ratione differant ab illo vno, quod est essentia. Quia, vt dictum, hoc vnum ita saltem virtualiter distinguitur ab illis multis, vt etsi ratione tantum ab ijs distinguatur, ipsa tamen essentia ac persona qualibet inter se comparata, aequiualeant pluribus etiam re distinctis; iuxta ea, quae de virtuali attributorum diuino

rum distinctione generatim docuimus supra disputatione 2. quaestione 2. dubio 3. Quod est quidem in nulla re creata accidat, & vero satis capi & intelligi à nobis in hac vita non possit, qui proprias rationes entis illius diuini non nouimus, nec vllum proprium eius conceptum habemus; nihil tamen obstat, quo minus per fidem credatur, de re illa admirabili, quae infinitis modis ab alijs differat, & cuius adeo etiam Maiestatem decet, aliquid habere singulare & incomprehensibile.

23 Quod si quis rursus virgeat inductionem, ex omnibus rebus creatis, in quibus nunquam fit, nec fieri potest, vt vnum aliquid sit plura, & vnum re, si vnum & plura illa alioquin inter se non nisi ratione differant; respondendum est, inductionem istam ex rebus creatis collectam, debere se continere intra terminos rerum creatarum, ex quibus collecta est: alioquin si limites suos transgrediarur, falsam fore, vt ex lumine fidei, quod altius & excellentius est lumine naturali, nouimus. Plura argumenta aduersariorum ex Scriptura, ratione, & Sanctis Patribus petita, praecipue contra diuinitatem filij, & Spiritus sancti, dissoluunt Gregorius de Valentia, citat. quaestione 1. p. 1. §. 21. 22. 23. & 25. & Bellarminus tom. primo controuers. 2. de Christo libro primo, capite decimo tertio, & sequentibus.

#### DVBIVM V.

*Qua ratione vocula ES ratio Personae communis sit omnibus personis diuinis; ES de singulis praediceretur.*

S. Thom. 1. p. q. 29. a. 4. & q. 30. a. 4.

VARIA & multiplex est hac de re dubitatio, nimirum 1. quid nomen personae in genere, formaliter significet, an solam negationem, an secundam intentionem, seu ens rationis; an aliquam rationem positiuam realem. 2. Quid nomen personae in diuinis formaliter significet; an absolutum aliquid, an respectiuum; adeoque, an essentiam ipsam, an relationem. 3. An personae nomen & ratio vniuocè communis sit personis creatis & diuinis; aut saltem diuinis inter se. 4. An quidditatiue de singulis praedicitur; an solum denominatiue. 5. An sit aliquid commune pluribus personis, per modum alicuius vniuersalis: quae singula sequentibus assertionibus ordine explicamus: quibus etiam varietatem sententiarum, quae est inter Doctores, de his rebus subiicimus.

24 Assertio I. Nomen personae, siue generatim, siue particularim (de diuinis) loquamur, formaliter ac directè non dicit solam negationem communicabilitatis; nec intentionem secundam, seu ens rationis; sed conceptum obiectiuum realem & positiuum, aliquo modo non secundum rem, sed secundum rationem comunem omnibus perso-

perfo-

personis. Ita docet S. Thomas hic q. 30. artic. 4. Caietanus; & Thomistæ ibidem. Gregorius de Valentia q. 3. pun. 3. Suarez lib. 1. cap. 30. n. 8. Vasquez disp. 130. cap. 2. Idem docent ex antiquioribus Scholasticis Alensis 1. p. q. 56. memb. 4. art. 2. Bonaventura in 1. d. 25. a. 2. q. 1. Capreolus q. 1. a. 1. Marsilius in 1. q. 17. art. 2. nec dissentire videtur Aureolus in 1. d. 23. q. 1. art. 3. etsi nonnulli contrarium docuerint.

Etenim Scotus in 1. d. 23. q. 1. asserit, nomen personæ formaliter ac directè dicere solam negationem communicabilitatis: si tamen aliquid positivum significet, quod non omnino improbabile censet; putat id aliud esse non posse, quam aliquid commune relationi & substantiæ. Durandus vero citato d. 23. quæstio. 1. ait, formaliter dicere intentionem secundam; quam utramque opinionem refert & refellit S. Thomas cit. a. 4. & Aureolus loc. cit.

Ratio est. Tum quia personalitas dicit modum subsistendi incommunicabiliter, adeoque ultimum complementum naturæ rationalis, per quod subsistit, quale complementum esse non potest, neque negatio, neque intentio secunda, siue ens rationis. Tum quia persona formaliter est principium agendi, quale itidem esse non potest negatio, aut intentio secunda. Et quia omnes personæ diuinæ in hoc conveniunt & similes sunt, quod habent modum subsistendi incommunicabiliter, seu ut loquitur S. Thomas, quod unaquæque eorum subsistit in natura diuina, distincta ab alia, quod formaliter significatur nomine Personæ; hinc fit, ut nomen personæ etiam in diuinis significet cōceptum obiectivum realem & positivum, eumque communem, non quidem reipsa, sic enim una tantum persona esset in omnibus, ut bene etiam notavit Sanctus Thomas ibidem; sed ratione; ut in alijs nominibus communibus accidit.

Positio autem, quod nomen personæ etiam in diuinis aliquid reale positivum significet, adhuc tamen controuertitur, quid sit illud reale positivum; seu an vocula personæ formaliter significet essentiam, an relationem, an aliquid ab utraque abstrahens. De quare S. Thomas hic q. 29. a. 4. ex instituto agens, tres recitat sententias; Prima est, hoc nomen persona simpliciter ex virtute vocabuli, in diuinis significare essentiam; sicut nomen Dens, & nomen sapiens; sed propter importunitatem hæreticorum fuisse accommodatum, ex oratione concilij, ut possit poni pro relativo; præcipue in plurali, vel cum nomine partitio: ut cum dicimus tres personas, vel alia est persona Patris, alia Filij. In singulari vero, inquirunt, potest sumi pro absoluto, & pro relativo. Sed hæc sententiam bene refellit S. Thomas. Si enim persona ex vi vocabuli, significaret essentiam, non male hæretici Samaritani negassent in Deo pluralitatem personarum; quorum error proinde ea ratione non fuisset apte sublatus per Nicaenum concilium.

Secunda sententia est, nomen personæ significare essentiam in recto, & relationem in obliquo. Pro qua sententia nullus refertur author, nec argumentum.

Tertia sententia est, significare relationem in recto; & essentiam in obliquo; quia in definitione personæ natura ponitur in obliquo. Et isti, inquit, S. Thomas, propinquius ad veritatem accesserunt. Ad quam accedens ipsemet etiam S. Thomas ibidem, ait, personam diuinam significare relationem ut subsistentem, seu relationem per modum substantiæ. Et secundum hoc verum est inquit, quod hoc nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis. Et addit: similiter etiam significat essentiam in recto, & relationem in obliquo, in quantum essentia idem est, quod hypostasis. Ita S. Thomas.

In cuius tamen verbis hoc ipsum dubium est, cum ait, nomen personæ significare relationem per modum substantiæ; an directè significet substantiam, an relationem. Caietanus quidem ead. q. 29. a. 4. docet, in Deo formaliter & directè significare relationem; materialiter vero seu indirectè substantiam. Alij plures, ut Alensis, Bonaventura, Gabriel; Marsilius, Capreolus locis cit. & Torres hic cit. a. 4. e contrario dicunt, directè significare substantiam; consequenter verò relationem; & pro se utriusque citant S. Thomam. Res autem ita facile explicatur, ut docet & simul probat hæc

Assertio II. Nomen personæ directè quidem & formaliter, etiam in diuinis, significat substantiam seu hypostasin, ut patet ex eius definitione; directè vero & materialiter relationem in concreto; V. G. Patrem; hæc enim est, cui conuenit in diuinis esse hypostasin, quæque incommunicabiliter subsistit; quamuis formaliter & expressè nomine personæ ea non significetur; quod solum probant contrariæ sententiæ Authores: Essentiam autem partim significat consequenter, partim connotat in obliquo; quorum hoc ex definitione personæ patet; est enim persona rationalis naturæ indiuidua substantia; alterum colligitur ex eo; quia ipsa hypostasis in Deo idem est cum essentia. Ita docet, & pluribus declarat Vasquez disp. 127. & facile etiam secundum hæc exponi potest S. Thomas cit. art. 4. eademque ratione ferè in concordiam redigi possunt authores citati, post relatam S. Thomæ sententiam.

Quæ ratione etiã non malè Scotus loc. cit. censuit, positivum illud, per nomen personæ formaliter significatū, esse aliquid commune relationi & substantiæ; quicquid cum Durando cit. dist. 23. q. 1. n. 6. repugnet Vasquez disp. 130. n. 11. Quia enim modus subsistendi incommunicabiliter, vocabulo personæ formaliter significat, in creatis quidem substantijs est aliquid absolutum; in diuinis autem relatio substantialis, recte dicitur significatū eius propriū esse aliquid commune absoluto & relativo; non quidem commune vniuocum, sed analogum; sicut conceptus Entis communis est absoluto & relativo: ex quo non sequitur, totum esse relationis, si formaliter & adæquate spectetur, non esse ad aliud, sed solum concipi posse inadæquate conceptu quodam analogicè communi; quo ut sic actu & expressè non referatur ad aliud; quod verissimum est.

9 Assertio III. Nomen seu ratio personæ non est aliquid commune vniucum ad personas, seu creatas, seu diuinas; ac proinde nec vniucè de ijs prædicatur, sed analogicè. Hanc sententiam existimo esse probabiliorem, & communiorem, apud Philosophos, qui communiter docent, indiuiduum non prædicari vniucè de pluribus, sed solum analogicè, quod multo magis de indiuiduo vago dicendum est. Quare eadem assertio colligitur ex Sancto Thoma hic quæst. 30. art. 4. ubi dicit, etiam in rebus humanis, hoc nomen personæ esse commune communitate rationis, non sicut genus vel speciem, sed sicut indiuiduum vagum. Eandem assertionem tradunt Scotus in 1. dist. 26. quæst. 1. §. Tertia opinio, & Aureolus in 1. d. 25. quæst. 1. art. 2. & d. 23. quæst. 1. a. 3. tametsi contrarium ex instituto pluribus suadere conatur Suárez hic lib. 1. cap. 3. à num. 8. qui in eandem sententiam citat S. Thomam hic quæst. 29. art. 4. & quæst. 30. a. 4. Caietanum ibidem & q. 27. a. 4. Alensem 1. part. quæst. 56. memb. 4. a. 2. Bohaventuram in 1. d. 25. a. 2. q. 1. Capreolum ead. dist. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilium in 1. quæst. 28. art. 2. conclus. 2. Sed isti solum docent, rationem obiectiuam nominis personæ esse realem, & communem pluribus personis; at verò vniucè communem esse, non dicunt.

10 Probatur assertio. Quia ad nomen commune vniucum requiritur, vt eadem ratione prædicetur de pluribus, adeoque vt ratio obiectiuam personam formaliter significata, secundum rationem eadem planè sit in pluribus; sed hoc dici non potest de nomine personæ, siue referatur ad personas creatas & increatas simul, siue sigillatim ad alteras earum: Ergo, &c. Maior patet. Minor probatur. Primo; quia ratio communis personæ, non est omnino abstracta, secundum rationem, ab inferioribus; sed includitur in singulis personis, etiam qua personæ tales sunt, & inter se distinctæ; eo modo, quo ratio entis includitur in inferioribus; quia Petrus etiam secundum rationem suam vltimam, qua Petrus est, & vt à Paulo distinguitur, est persona; siquidem per ipsam personalitatem, vel vltimum & incommunicabile complementum substantiæ vltimate constituitur.

11 Secundo; quia terminus vltimus debet esse omnino simplex, ita vt in duos conceptus resolui non possit: alioquin enim ipse non erit terminus vltimus, sed includet simul tum rationem termini vltimi, tum rationem terminabilis: sed personalitates quælibet sunt vltimi quidam termini nature; Ergo non potest ab eis abstrahi conceptus realis communis, adeoque nec ratio obiectiuam, quæ secundum rationem nostram eadem planè sit in pluribus personis.

Tertio. Si plures personalitates, seu diuinæ, seu creatæ, habent, in quo conueniant realiter, & in quo differant, tum etiam modus ille, in quo differunt, poterit in communi, & in particulari concipi ac significari; adeoque resolui in duos alios conceptus: sed hoc est impossibile; sic enim dabitur processus in infinitum: ergo sistendum est in primo termino vltimo & simplicissimo, qui secundum rationem nostram non possit eadem ratione communis esse pluribus.

12 Quarto. Si persona vniucè prædicatur de pluribus, tunc erit vniuersale; quod dici non potest; cum nullum sit ex quinque vniuersalibus, vt magis patebit assert. 4. & 5. His addi posset specialis ratio in Deo; quia si in eo abstrahi potest ratio obiectiuam personæ, quæ secundum rationem nostram eadem planè sit, & communis omnibus personis, tum dabitur in Deo compositio, secundum rationem nostram ex communi & particulari, sed hoc generatim loquendo non esse absurdum, dictum est supra disput. secunda, quæstione tertia, dubio primo.

13 Neque his argumentis omnino satisfaciunt Suárez, quando ipse met ibidem numero decimo sexto fatetur, relationem diuinam, qua constituitur persona Patris, non determinari ad esse paternitatis, siue huius personæ per modum in quo non includatur ipsa communis ratio diuinæ relationis ac subsistentiæ; nec paternitatem constare duobus conceptibus inter se omnino condistinctis; sed dicere solum simplicem conceptum relationis magis expressum & specificum, qui per se ipsum determinat conceptum personæ; nec conceptum illum communem esse conceptum generis, vel speciei, aut alterius prædicabilis, sed ad modum transcendentis. Quod est plane dicere, non dari communem rationem obiectiuam personæ; quæ eadem planè sit in pluribus; ad hoc enim necesse foret, vt ratio communis personæ esset plane abstracta ab inferioribus; adeoque etiam vt personalitas quælibet constaret duobus conceptibus inter se omnino condistinctis, vno communi determinabili, & altero particulari determinante.

14 Obijciatur; nomen personæ ad plures personas, præcipue diuinas, non posse esse analogum; quia simpliciter & perfectissime dicitur de quacunque persona; & non magis dicitur de vna, ratione alterius; quam è conuerso. Respondetur, esse analogum secundum analogiam proportionalitatis; quo modo etiam nomen Entis seu accidentis prædicatur de pluribus accidentibus absolutis: quia sicut se habet Pater ad suam personalitatem, ita filius ad suam; & Spiritus sanctus ad suam: neque hæc analogia vniuersim ac necessario postulat inæqualitatem inter plura significata nominis; satis est diuersam aliquo modo esse rationem eorundem; quod in animali, aliisque eiusmodi vniucis cernitur.

15 Assertio IV. An persona significet aliquid commune pluribus personis quidditatiuè, an denominatiuè tantum; adeoque an persona prædicetur de pluribus personis, seu diuinis, seu creatis, quidditatiuè, an denominatiuè tantum, quæstio nominis est: rectius vero negatur vtrumque. Probatur & declaratur assertio. Sunt enim hac de re pugnantis sententiæ; vna affirmat prædicari quidditatiuè. Ita recentiores quidam docent cum Caietano hic quæst. 31. art. 4. Alij docent, prædicari solum denominatiuè de Patre, & Filio, vt significantur his nominibus relatiuis. Ita Vasquez disp. 130. cap. 2. in fine.

Ceterum hæc tota quæstio nominis est. Nam si quidditatiuè prædicari idem sit, quod essentialiter prædicari, clarum est, personam etiam in

diuinis, iuxta nostrum quidem concipiendi modum, quidditatiuè de tribus personis (multo minus de personis creatis) non prædicari: quia essentia in diuinis est vna; personæ autem plures. Si quis autem dicat, quidditatiuè seu in quid prædicari omne illud, quod substantiali & intrinseca prædicatione, & non in quale prædicatur, is re ipsa non male dixerit, prædicari in quid, vt loquitur Caietanus. Sed quia sensus prior magis videtur seruare proprietatem verborum; nec adeo modus ille loquendi propriè habere locum, nisi inter ea, quorum vnum est de essentia alterius; cum idem sit quidditas, quod essentia rei, rectius absolutè negatur quidditatiuè prædicari.

16 Neque tamen propterea absolute & simpliciter dicendum est, denominatiuè prædicari; cum intrinsecè & substantialiter prædicetur, & non in quale, per modum passionis vel accidentis, vt rectè etiam indicat Suarez libro primo, capite tertio, numero decimo nono, qui tales prædicationes appellat *personales*: & addit; etiam in rebus creatis, nec indiuiduum vagum nec suppositum, vel personam prædicari in quid, de indiuidua substantia, quamuis completa & integra; ac proinde has propositiones non esse quidditatiuas, Petrus est aliquis homo; seu Petrus est suppositum, aut persona: quia non dicunt formaliter essentiam Petri, sed modum existendi vel subsistendi; quod nos, inquit, appellamus in Qualiter, (non in Quale,) vel in quo modo, &c. Dicamus ergo prædicationes has, substantiales personales: siquidem essentialiter aut denominatiuè prædicari solum est diuisio adæquata prædicationis vniuersalis.

17 Cum quo tam non pugnat, quo minus ratio personæ prædicetur quidditatiuè de personis, seu diuinis, seu humanis, si subiectū accipiatur formaliter & cum reduplicatione, ita vt sermo sit de persona hac vel illa, secundum formalitatem suppositi vel personæ, vt talis est; vt bene aduertit Suarez libro I. capite 3. numero 19. Sicut etiam relatio diuina prædicatur in quid seu quidditatiuè de tribus relationibus diuinis; quicquid hoc ipsum etiam quidam sine causa negent; etsi genus ad eas non sit propter transcendentiam & simplicitatem, vt notauit Suarez loc. cit. & in simili de persona dicitur.

Nec obstat, quod interroganti, quid est Pater, rectè respondetur, est persona diuina. Id enim accidit, non secundum proprietatem sermonis, sed potius vel ex inopia vocabulorū; vel quia secundum accommodationem vsus loquendi, & mentem interrogantis, id etiam eo loquendi modo interrogari solet: cum alias propriè, & ex rigore verborum ad eam quæstionem absolutè respondendum foret, esse Deum.

18 Assertio V. Persona non prædicatur de personis diuinis per modum alicuius vniuersalis. Ita Sanctus Thomas cit. quæst. 30. art. 4. ad 3. vbi ait; *etsi communitas persona in diuinis sit communitas rationis, & non rei, tamen non sequi, quod in diuinis sit vniuersale, vel particulare, vel genus, vel species.* Et addit rationem duplicem. 1. Quia neque in rebus humanis, communitas persona est communitas generis vel

*species. 2. Quia personæ diuinæ habent vnum esse (nimirum tam essentia, quam existentia) genus autem, & species, & quodlibet vniuersale, prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.* Ita Sanctus Thomas.

Et est quidem hæc eius doctrina communiter ab interpretibus recepta: sed neutra ratio caret difficultate. Non prima; quia huius ipsius rei causa quaeritur, cur persona in humanis non sit vniuersale; si quidem vniocè prædicetur de pluribus, vt vult Suarez cum alijs nonnullis. Nec secunda; quia ad rationem vniuersalis videtur sufficere, vt prædicetur de pluribus secundum idem nomen: quo modo etiam in diuinis persona prædicatur de pluribus personis. Vt autem illa plura etiam secundum esse distinguantur, vniuersim non videtur necessarium; siquidem hoc ex definitione, aut ratione vniuersalis colligi non videtur.

19 Respondeo igitur ex dictis, rationem assertio- nis esse, quia persona non prædicatur vniocè de pluribus personis, seu diuinis, seu creatis; eo quod non habeat rationem omnino abstractam ab inferioribus; sed inclusam in illis, & inconfuso saltem includentem illa, sicut de ratione entis dictum est.

Quare etiam non probatur, quod docet Vasquez disp. 130. c. 2. num. 12. vbi rationem reddit, quare quidam homo, quod indiuiduum vagum vocari solet, non constituatur à Logicis sextum prædicabile, quia reuera, inquit, nihil commune significat, nisi denominatiuè ratione connotati, sicut vox indiuiduum; sic autem sufficienter ad quintum prædicabile reducitur. Ita Vasquez. Sed sanè, siquidem homo, vt & persona, vniocè prædicaretur de pluribus; cum habeat modum prædicandi peculiarem ex dictis, nulla esset ratio, cur non sextum vniuersale constituerent; præterquam quod ex viori & communi- ori philosophorum doctrina, indiuiduum vagum, ad nullum omnino vniuersale pertinet, vt diximus: esto interim non idem plane significetur, hoc nomine, *Quidam homo*, quod nomine personæ, vt cum Durando q. 1. num. 6. & 7. docet Vasquez ibidem contra Caietanum hic quæst. 30. a. 4. male pro se citantem S. Thomam ibidem: Quia quidam homo expressè significat saltem in obliquo naturam humanam, & subsistentiam particularem in confuso, hanc vel illam: persona, nisi aliquid addatur, nec expressè naturam humanam significat, nec subsistentiam seu personalitatem particularem, sed communem rationem subsistentiæ, quæ proinde etiam signo particulari determinari potest. Magis ab utroque differt Petrus; quia hoc nomine determinatè certa & particularis subsistentia, seu persona significatur: tamen paulo aliter de hac re loquatur Vasquez cit. num. 12.

#### DVBIVM VI.

*An præter tres subsistentias personales & relatiuas sit in Deo subsistentia quædam absoluta, & communis omnibus personis.*

S. Thom. 1. p. q. 39. art. 4.

**N**on mouetur questio de *hypostasi* absoluta & communi, sed de *subsistentia*. Licet enim alioqui ex vsu S. Patrum, & veteris Ecclesie, apud Latinos idem sit *subsistentia*, quod apud Græcos *hypostasis*; ita vt post multas licet controuersias, iam olim fuerit conuentum, utroque nomine significari personam, vt dictum supra dub. 1. & ex epistola Athanasij ad Episcopos Africanos, & Concilio Sardicensi pluribus persequitur Vasquez 1. part. disput. 124. postquam tamen *subsistentia* uocula apud Latinos, præcipue inter Scholasticos, non concretè, pro persona, sed abstractè pro termino ultimo substantiæ accipi solita est, vt ibidem dictum, disputari coeptum inter Scholasticos, quæ & quot sint eiusmodi *subsistentia* in Deo, re vel ratione distinctæ; ac speciatim, utrum præter tres *subsistentias* personales, & relatiuas, quibus constituuntur personæ diuinæ, sit in Deo *subsistentia* quædam absoluta, & communis omnibus personis, à *subsistentijs* illis personalibus saltem ratione distincta: cum interim omnes Theologi vno ore fateantur, tres tantum esse in Deo *hypostases*; intelligentes scilicet hoc nomine siue personas ipsas, siue *subsistentias* personales, vt bene etiam aduertit Fonseca libro 5. Metaph. capite 8. quæst. 5. sect. 5. & Vasquez disp. 125.

Hoc igitur sensu de *subsistentia* loquendo, tres vniuersim sunt Theologorum hac de re sententiæ. Prima docet, non tres relatiuas; sed vnã tantum absolutam & communem *subsistentiam* esse in Deo; relationes vero ait, esse personalitates, non *subsistentias*. In hac sententia sunt Scotus in 3. d. 1. quæst. 2. & in 1. d. 4. quæst. 2. & Durandus in 1. dist. 26. quæst. 1. numer. 6. & in 3. d. 1. quæst. 2. quibus Vasquez disput. 125. capite 1. adiungit Paludanum in 3. distinct. 1. quæstio. 2. Capreolum quæst. 1. artic. 3. Egidium in 1. dist. 23. quæstio. 2. artic. 2. Argentinam dist. 26. quæst. 1. Albertum 1. part. summ. tract. 10. quæstio. 43. Fundamentum præcipuum est; quia *subsistere* est perfectio simpliciter simplex; melius enim est *subsistere*, quam non *subsistere*: nulla autem perfectio est perfectio simpliciter simplex; alioqui perfectio aliqua simpliciter simplex esset in vna persona, quæ non est in alia: Ergo *subsistentia* est quid absolutum, non relatio. Fauet etiam eidem sententiæ Sanctus Hieronymus epist. 57. & Sanctus Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 4. in fine, vbi negare videtur *subsistere* in Deo relatiuè dici. Citantur etiam complura loca Sancti Thomæ; sed qui vbique loquitur de actu existendi, quem appellat *existentiam*, seu *Esse*, vt bene Vasquez ibidem.

Secunda sententia est Caietani hic q. 39. a. 4. vbi docet esse quidem in Deo tres *subsistentias* relatiuas & personales, inter se re distinctas: at vero præter has dari etiã quãdam *subsistentiam* absolutam, communem tribus personis, ratione distinctam à relatiuis & personalibus, quæ etiam cogitatione prior sit *subsistentijs* personalibus, adeoque non sit *hypostasis*, nec personalitas; cum sit communis, nec adeo etiam constituat personam, sed vt ipse loquitur, quasi semiper personam &

semisuppositum seu indiuiduum concretum à Deitatis, quod est hic Deus; additque peculiare hoc esse naturæ diuinæ, ob suam infinitatem, quod in ea, præter *subsistentias* personales, detur *subsistentia* quædam alia prior; cum alias vbique; personalitas & *subsistentia* sint idem, sicut & persona ac prima substantia: quod in sua etiam sententiã docet Scotus loc. cit. Idem repetit Caietanus 3. part. q. 2. a. 2. & q. 3. a. 2. & 3. & supra q. 2. a. Eandem sequuntur Bartholomæus Miranda, in sum. Concil. annot. ad VI. Synodi act. 11. Bartholomæus Medina 3. p. q. 3. a. 2. Bannes hic q. 40. a. 4. dub. 2. Cabrera 3. part. q. 3. a. 3. disp. vn. Zumel hic q. 30. a. 1. disp. vi. & Thomista recentiores communiter, item Molina q. 29. a. 2. disp. 3. Fonseca lib. 5. Metaph. c. 8. q. 5. sect. 5. Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 15.

Denique eandem acriter propugnat Suarez hic lib. 4. cap. 11. & in 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 3. vbi etiam eam vocat communem omnium Theologorum; saltem quatenus Deo *subsistentiam* eiusmodi absolutam tribuit, abstrahendo à *subsistentijs* relatiuis: ac præter Doctores pro præcedenti sententiã citatos, allegat etiam Richardum, Gabrielem, Ockamum, Almainum. Sed hi non tribuunt Deo absolutam eiusmodi *subsistentiam*, sed existentiam substantialem, per quam dicunt, posse assumi & terminari naturam creatam, non terminante personalitate; de quo est alia quæstio, vt rectè idem Vasquez loc. cit. cap. 2. qui proinde addit, sententiã superius expositam (coniunctim quoad partem vtramque) nullum sequi præter Caietanum, ac dictos recentiores.

Omitto Dionysium Carthusianum in 1. dist. 26. quæst. 7. qui non admodum absurdum existimare videtur, etiam absolutum & commune suppositum ac personam in Deo constituere; licet denique oppositum tenendum statuat.

Rationes præcipuæ sunt. Tum quia *subsistentia* est perfectio simpliciter simplex: conuenit ergo necessario essentia diuinæ; seu Deo vt sic. Tum quia Deus vt sic, cum sit concretum substantiæ, debet significare aliquid *subsistens*, & pro eodem etiam supponere: non autem vt sic formaliter supponit pro persona; quia Deus est vnus, personæ autem sunt tres: Ergo, &c.

Verum opposita his sententiã tertiã, tres scilicet tantum esse in Deo *subsistentias* relatiuas seu personales, nullamque absolutam, vix mihi semper est probabilior, quam sequentibus assertionibus declaro.

Assertio I. Negari nullo modo possunt in Deo tres *subsistentias* personales seu relatiuæ. Ita communis Doctorum, speciatim omnes citati pro secunda sententiã, & quos pro tertiã sententiã citabimus assertionem sequenti contradicatos pro prima sententiã. Probat ex Concilijs & Sanctis Patribus, qui passim & frequentissimè non solum tres *subsistentes* personas diuinæ, sed etiam tres *subsistentias* in Deo constituerunt, vtique personales; speciatim autem ita loquuntur Synodus VI. act. 11. in epistola Sophronij, in qua dicitur, *Deitatem esse numerabilem personalibus subsistentijs*. Et in VII. Synodo epistola Sinod. dicitur, *Trinitatem*



esse diuisam numerabilibus subsistentiis, & personalibus alteritatibus. Vbi Concilia expresse loquuntur de subsistentia in abstracto, prout nimirum est forma, per quam constituuntur & distinguuntur personae. Quare Vasquez loco citato cap. 1. dicit oppositam sententiam aduersari communi modo loquendi Patrum & Conciliorum.

7 Ratio est. Tum quia subsistentia est ultimus terminus & complementum substantiae, quo constituitur persona siue suppositum: idque in rebus humanis & creatis verum esse, vltro fateatur Scotus: seruat autem eandem notionem communem etiam in diuinis, siquidem de his, non nisi ex analogia & communibus notionibus rerum creatarum, loqui & differere possumus. Tum quia alias videtur consequens vnionem humanae naturae factam esse non solum cum persona Verbi, sed etiam cum ceteris personis diuinis. Humanitas enim subsistit non propria subsistentia creata, sed diuina: si ergo haec non est propria & personalis ipsius Verbi, sed communis omnibus personis, sequitur, eandem naturam humanam subsistere subsistentia communi omnibus personis; ac proinde ratione communiter terminatam fuisse cum omnibus personis. Quibus argumentis efficaciter probatur, tres esse in Deo subsistentias personales, seu proprias singularum personarum; easdem vero relatiuas, non absolutas esse, patet ex q. 3. dub. 6. vbi probabimus, personas constitui & distingui inter se non aliquo absoluto, sed relationibus.

8 Afferio II. Multo verius est, tres tantum esse in Deo subsistentias personales & relatiuas; nullam autem communem & absolutam. Haec est communis sententia veterum Scholasticorum, qui admittunt in Deo tres subsistentias relatiuas. In primis autem ita sentit Sanct. Thomas, qui etsi nonnunquam speciatim lib. 4. cont. gent. cap. 28. & 1. p. q. 3. subsistentiam absolutam & communem Deo tribuere videatur, accipiendo voculam subsistere & subsistentiam, pro existentia substantiali, videlicet per se, & non in alio, velut subiecto; tamen loquendo de subsistentia, vt est modus seu terminus naturae existenti superadditus, nunquam eam a persona vel personalitate distinguit. Vnde q. 29. a. 2. dicit, *subsistentiam & suppositum idem significare.* & 3. p. q. 3. a. 3. ad 1. ait, *quod est subsistens in diuina natura, consequens esse, vt sit persona.* Et quaest. 9. de potentia a. 3. & 5. dicit, *ex hoc quod aliquid est subsistens, habere, vt non possit de pluribus predicari.* Eiusdem sententiae sunt Alenfis 3. p. q. 1. mem. 3. & q. 7. mem. 1. a. 3. Bonauentura in 3. dist. 1. a. 1. q. 3. Richardus in 1. dist. 26. a. 1. q. 1. Henricus quodlib. 5. q. 8. Marsilius in 3. q. 2. a. 3. dub. 2. Genebrardus lib. 2. de Trinitate. quos etiam sequitur Vasquez loc. cit. cap. 3. Eandem sententiam tuentur Gregorius de Valentia hic q. 13. pun. 3. & Albertinus tom. 2. de substantiis. quaest. seu coroll. 11. dubit. 1.

9 Probatur primo; quia apud SS. Patres, & in Concilijs, inauditum est, esse quatuor hypostasias aut subsistentias in Deo; quin potius vbique subsistentia, hypostasis, personam, & suppositum in Deo, habent pro eodem; nisi cum subin-

de controuersia de vocibus hypostasis & subsistentia nondum satis explicata, accipiunt subsistere, vel subsistentiam, pro existentia substantiali, nimirum per se, & non in alio velut subiecto, vt etiam de S. Thoma dictum: quo quidem sensu nemo negat, subsistentiam communem & absolutam in Deo. Quare etiam Imperator Iustinianus in edicto seu confessione ad Ioannem II. Pontificem latine scripta, ait: [ Quoniam non est idem natura & subsistentia. Omnes enim sancti Patres consonantes nos docent, aliud esse naturam siue substantiam, & formam; aliud subsistentiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam autem siue personam hoc, quod est speciale. Et Vasquez cit. 6. 3. ait, nullum ex SS. Patribus tam Latinis, quam Graecis esse, aut inueniri, qui post compositam litem de harum vocum significatione, vt dictum dub. 1. concedat in Deo absolutam aliquam subsistentiam, aut hypostasin: quicquid Hieronymus & Augustinus, olim de significatione graecae vocis adhuc dubij, vt dictum cit. dub. 1. aliter nonnunquam videantur locuti; subsistere accipientes pro existentia substantiali; de quo plura Vasquez cap. 5. qui ad similia aliorum Patrum testimonia, ex parte etiam deprauate citata, sigillatim respondet.

10 Secundo in rebus creatis, ac Philosophia naturali, inauditum est, subsistentiam ab hypostasi, adeoque supposito, seu suppositalitate differre, vt etiam fatentur Aduersarij: noua igitur & conficta est illa notio voculae subsistentiae, quam in Deo absolutam diuersa plane significatione constituunt.

Tertio. Nisi quasi pro arbitrato nominum significata mutentur & fingantur, de ratione subsistentiae (prout dicit modum superadditum existentiae, vel existentiae substantiali) est, vt reddat naturam incommunicabilem; dat enim esse per se, & non in alio, non solum velut in subiecto, hoc enim facit ipsa per se natura substantiae; sed nec in alio, velut terminante, & quasi complete substantialiter ipsam naturam; quod non facit illa subsistentia absoluta; qua non obstante, natura diuina communicabilis est tribus personis, vt fatentur auctores oppositae sententiae: Ergo nulla est in Deo subsistentia eiusmodi communis & absoluta.

11 Aiunt, voculam, in alio vt terminante, intelligendam de alio re distincto: & hac ratione etiam subsistentiam illam absolutam in Deo dare esse per se, & non in alio. Sed hoc minime satisfact: quia si substantia illa non facit ex se naturam omnino incommunicabilem, etiam alicui alij virtualiter distincto, videlicet personae diuinae, tum ipsa quidem per se nil obstat, quo minus natura diuina possit communicari alicui etiam re distincto ab essentia, si hoc aliunde in Deo non implicaret contradictionem. Vnde quod natura diuina non possit esse in alio re distincto, non habet per subsistentiam illam absolutam, vt sic; sed per attributum simplicitatis, quae obstat, quo minus etiam supposita, quibus diuina natura comuni-

catur, possint esse re distincta ab essentia. Denique de ratione subsistentiæ est, ita reddere subsistentem naturam incommunicabilem, ut natura ipsa hoc modo subsistens, iuxta nostrum concipiendi modum, & formaliter, nullomodo possit ulli personæ amplius communicari: siue persona hæc re, siue ratione tantum ab ipsa natura ita subsistente distinguatur: cum tamen iuxta oppositam sententiam ipsamet illa subsistentia, qua talis est formaliter, pluribus personis communis sit; ac per ipsas subsistentias personales ulterius determinetur.

12 Ad primum utriusque oppositæ sententiæ Respondetur, subsistentiam ut sic non magis esse perfectionem simpliciter simplicem, quam personalitatem, seu suppositalitatem, à qua, ut dictum, etiam in diuinis non differt. Hæc autem secundum rationem quidem particularem & indiuiduam, ut est hæc vel illa personalitas, non est perfectio simpliciter simplex, etiam prout in Deo est, ut ex veriori suo loco inferius dicitur q. 3. dub. 4. etsi secundum rationem communem, & quasi abstracte accepta, dici possit perfectio simpliciter simplex, cum sit in quolibet ente melior ipsa, quam non ipsa, seu quam aliud cum ipsa impossibile. Nisi aliquis malit dicere, eam definitionem perfectionis simpliciter, intelligi de aliquo, quod iuxta suam quandam rationem indiuiduam (qualiscunque demum illa sit) & ut in particulari alicubi existit, melior sit ipsa, quam non ipsa; quo sensu simpliciter negari poterit, esse perfectionem simpliciter. Quod si concedatur, priori modo esse perfectionem simpliciter, non tamen ideo necesse est, eandem numero communicari omnibus personis; quia ut dictum, iuxta suam rationem indiuiduam non est perfectio simpliciter simplex.

13 Ad secundum argumentum primæ sententiæ iam antea responsum est, S. Hieronymum, & Augustinum, re nondum satis comperta, subsistentiam siue subsistere accepisse pro existentia substantiali.

Ad secundum argumentum secundæ sententiæ Respondeo cum Vasquez d. 156. cap. 2. omisiss varijs aliorum sententijs, nomen Deus per se ac immediate supponere, nec pro subsistente illo absoluto; tale enim nullum est; nec determinatè, quantum quidem est ex vi nominis, pro vno aliquo certo & determinato subsistente in natura diuina; sed pro concreto seu indiuiduo Deitatis, quod, ut cætera substantiua concreta naturarum, licet supponat materialiter pro persona, eamq; adeo etiã connotet, velut in quo subsistit natura; formaliter tamen & directè significat naturam: vnde etiam dicitur hic homo, non quia sit in hoc supposito, sed quia est hæc natura in hoc vel illo supposito. Eodem igitur modo hic Deus directè quidem, & formaliter dicit & significat singularem naturam diuinam, non tamen particularem & indiuiduam aliquam subsistentiam diuinam; sed abstractè & indifferenter connotat aliquid, seu quicquid est subsistens in natura diuina: ita ut quamuis suppositio illius termini sit particularis & determinata ex parte diuinitatis, tamen ex parte subsi-

stentiæ sit communis, & abstrahens à tribus personis in particulari, qua nimirum sunt hæc personæ particulatim, ut suo loco etiam de spiratore dicitur. Quare etiam de omnibus & singulis personis potest prædicari; & ratione quoque prius intelligitur hoc concretè diuinitatis, quã ipse personæ eodem modo, quo vniuersale prius dici solet de particulari, iuxta Aristotelem in postprædicamentis cap. 2. de modis prioris.

14 Ex quibus etiã efficitur primo, licet Deitas ut sic nõ concipiatur à nobis ut ens infinitum simpliciter in omni ratione entis, sed essentiã tantum, esto subsistentia in genere concepta sit perfectio simplex; tamen Deum, & quamlibet personam diuinam, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, esse ens simpliciter infinitum: cum tam Deus, quam personæ singulæ includant subsistentiam; ille in determinatè hanc vel illam, seu etiam omnes simul; hæ singulæ vero etiam determinatè suam.

Secundo colligitur, licet Deus materialiter idem sit, quod *habens Deitatem*, ut loquitur S. Thomas hic q. 39. a. 4. tamen formaliter & in modo significandi idem non esse, ut recte etiam Suarez, Vasquez & alij: nam habens Deitatem adiectiuum est, & ideo pluraliter dicitur, iuxta eundem S. Thomam; Deus non item, ex certa omnium.

#### DVBIVM VII.

*Qua ratione diuina persona se habeant ad essentiam, ac attributa essentialia: Et quomodo tum de utrisq; inter se comparatis; tum vniuersim de his, que pertinent ad vnitatem Et pluralitatem in Deo loquendum sit.*

S. Thomas 1. p. q. 37. & 39.

1 AD considerationem diuinarum personarum in genere, maxime etiam spectat habitudo earum (utriusque intrinseca) ad diuinam essentiam; ex qua nascitur varijs modi loquendi, de his, que pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo: etsi de hac re S. Thomas duas speciales questiones instituat; que tamen nos omnia, quia ferè ex dictis colliguntur, aliquot assertionibus breuiter explicabimus; præsupponendo, comparari posse diuinas personas cum essentia, vel secundum rem ipsam; vel secundum prædicationem, seu modum prædicandi. Ad rem ipsam in primis pertinent duæ prioræ assertiones; ad modum loquendi seu prædicandi cætera.

2 Assertio I. Personæ diuinæ ab essentia re ipsa nullo modo distinguuntur; sed solum ratione. Ita S. Thomas cit. q. 39. a. 1. & communis Doctorum; speciatim Alberti Magni in 1. dist. 2. art. 20. Alensis 1. p. q. 44. in fin. Gandauensis in sum. artic. 24. q. 2. & quodlib. 5. q. 6. Egidij in 1. dist. 2. art. vlt. q. 2. ad 1. Heruzi ead. dist. quæst. 4. quam inter recentiores bene tuentur Caietanus hic q. 39. art. 1. &

Grego.

Gregorius de Valentia hic quæst. 13. punct. 1. est- que hæc sententia opposita duabus falsis opinationibus; prima est, quam refert Sanctus Thomas cit. q. 39. a. 1. eorum, qui dicebant, tum relationes vniuersim, tum etiam illas, quibus distinguuntur diuinæ personæ, solum esse assistentes, non autem inexistentes, ac proinde essentiam diuinam non esse eadem cum relationibus personalibus, ipsi que personis: quam sententiam Gaetanus ibidem putat esse Porretanorum.

3 Secunda sententia est Scoti in 1. d. 1. q. 4. Okami ibidem quæst. 1. & Gabrielis eadem distinct. & quæst. dub. 2. & 3. Marsilij in 1. q. 6. art. 2. qui docent, essentiam diuinam, & personam, distinguui, non quidem realiter strictè, sed actu formaliter, siue ex natura rei, ante omnem operationem intellectus, nimirum in adæquate, & ratione relationum seu proprietatū personalium. Quæ sententia, vt bene notauit Gregorius de Valentia, in primis etiam est Durandi in 1. d. 3. q. 1. vt dicitur quæst. 3. dub. 2.

Sed vtraque sententia planè est falsa, & nullo modo probabilis, vt vniuersim docuimus de attributis diuinis disp. 2. q. 2. dub. 2. & de simplicitate Dei q. 3. du. 1. Probatur primo ex Scripturâ. Ioan. 16. v. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* & 1. Ioan. 5. v. 7. *Ei tres vnum sunt.* Quæ ad naturam referuntur.

4 Secundo ex communi consensu SS. Patrum, è quibus Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina, *Vnum*, inquit, *in tribus diuinitas est, & tria vnum, in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, qua diuinitas est.* Et sanctus Augustinus lib. 7. de Trinitate. cap. 6. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* &c. Eodem modo loquuntur alij Patres.

Tertio idem colligitur ex definitione Ecclesiæ. cap. *Firmiter*, & cap. *Dannamus*, de Sum. Trinit. & fid. Cathol. ex quibus fide certum est, ea saltè inter se non distinguui sicut rem à re.

5 Quarto idem conuincitur ratio. Tum quia in Deo nõ est compositio ex supposito & naturâ, ob summam eius simplicitatem, vt dictum cit. q. 3. dub. 1. Tum quia falsum est, relationes personales, aut solum assistere naturæ, cum sint substantiales, adeoque substantialiter constituentes personam, & comune sit etiam cæteris relationib<sup>9</sup> creatis, non solum, esse ad terminū, sed etiā, esse in subiecto: aut ex natura rei, siue ante omnem operationem intellectus distinguui ab essentia, vt pluribus dicitur q. 3. dub. 2. Rationes Scoti dissoluit Gregorius de Valentia loc. cit. & soluntur ex dictis, tum cit. q. 2. dub. 2. de attributis diuinis, tum hic dub. 4. Plura inferius quæst. 3. dub. 2. Quomodo vero etiam personæ diuinæ identicè vnum sint in essentia, dicitur dub. seq.

6 Assertio II. Et si tam essentia ipsa, quam essentialia & absoluta attributa omnia, re ipsa æque communia sint tribus personis; recte tamen ex his quædam vni personæ, alia alteri, per quandam appropriationem accommodantur; vt potentia Patri; qui est principium omnium personarum, procedentium; Sapientia & veritas, & similia, quæ ad intellectum pertinent, Filio, per intellectum procedenti; Spiritui sancto bonitas, qua

procedit per voluntatem, cuius obiectum proprium est bonum; quæque in nobis est subiectum principale bonitatis moralis. Ita sanctus Thomas cit. q. 39. a. 7. & 8. ex communi; & somitur tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus, qui prædicata eiusmodi absoluta & communia nonnunquam, appropriant certis personis; ita vt quamuis alioquin ex se, & ex vi nominis communia sint omnibus personis, certam tamen nonnunquam personam designent; in quo etiam differunt à proprijs, vt sunt Pater, Verbum, seu Filius. &c. quia hæc re ipsa & per se, ac ex ipsa vi nominis, vni tantum personæ conueniunt.

7 Ratio est. Quia per eiusmodi accommodationem & appropriationem minimè significatur, eiusmodi attributa, seu prædicata appropriata, re ipsa vni tantum personæ conuenire, & non esse communia omnibus, sed solum esse in vna persona peculiarem rationem, ob quam illi tribuantur, quæ non est in alia, vt dictum, quod non solum nullius deceptionis aut erroris est causa; sed facit potius ad cognoscendam & declarandam magis rationem propriam singularum personarum. Quo modo Sanctus Thomas cit. art. 8. cum Augustino lib. 6. de Trinitate. cap. 10. etiam illud Apostoli, Rom. 11. vers. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsa sunt omnia*, aliaque similia plura, ex SS. Patribus, tribus personis diuinis accommodat; quæ apud ipsum videri possunt. Plura de hac re q. 4. dub. 1. 2. 4. & 9.

8 Assertio III. Recte dicuntur tres personæ esse vnus essentia vel substantia. Ita Sanctus Thomas cit. q. 39. art. 2. ex communi. Probatur ex Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. vbi dicit Homouison, quod in Concilio Nicæno aduersus Arianos firmatum est, idem significare, quod, *tres personas esse vnus essentia.* Ratio est, quia tamen aliâ forma, & id quod se habet per modum formæ, potius dicatur esse suppositi seu personæ, in quâ est; non autem personæ formæ; tamen cum addito, esse huius vel illius formæ, similis vel dissimilis, pulchræ vel turpis, vnus aut diuersa, rectè de personâ, aut personis dicimus. Cum ergo tres personæ habeant eandem essentiam, ex dictis, rectè dicuntur esse vnus essentia, vel substantia, vel etiam natura, tamen si vocula *essentia* id clarius significet; quia natura eiusdem aliquando dicuntur, quæ conueniunt in aliquo actu etiam accidentali; quo modo omnia calefacientia dicuntur vnus natura; vnus autem essentia dici non possunt, nisi quorum vnus est esse, vt notauit Sanctus Thomas ibidem ad 3. De vocula autem *substantia* dictum supra dub. 1. Addit Vasquez hic citat. quæstio. 39. articulo secundo, rectè etiam dici *tres personas Deitatis*; quia nimirum vocula *Deitas* vim habet duarum vocum, scilicet naturæ diuinæ, vt in simili responderet Sanctus Thomas ibidem ad 4.

9 Assertio IV. Nomina essentialia substantiua, & quæ substantiue usurpantur, non dicuntur pluraliter, adiectiua autem dicuntur pluraliter de Deo, ac in diuinis. Ita S. Thomas cit. quæst. 39. art. 3. ex communi, idque iuxta vsum loquend-

Scripturæ

Scripturæ ac SS. Patrum. Ratio primæ partis est; quia ut nomina substantiua dicuntur pluraliter, regitur pluralitas formæ seu naturæ, quæ directè significant; supposita simul pluralitate suppositorum, quam necessariam quoque esse, non negat S. Thomas, sed tacitè supponit. & verò etiam indicat supra quæst. 36. articulo vltim. ad 2. & apertè tradit 3. p. quæst. 3. articulo 7. ad 2. vt ex communi rectè notauit Suarez lib. 3. capit. 11. & lib. 4. capit. 12. post Caietanum, Ferrariensem, Torrem, & alios Thomistas; quicquid hic neget Vasquez dist. 155. post Scotum, Capreolum, & alios, de quo plura in 3. parte. Quomodo tamen nihilominus ratione trium personarum & relationum in Deo multiplicentur, tum cetera transcendentia, tum etiam existentia, dicitur quæst. 3. dub. 4. Secunda pars probatur. Quia vt nomina adiectiua pluraliter dicantur, sufficit pluralitas suppositorum, etiam si forma ipsa formaliter significata non multiplicetur, ex communi. *De non*

10 *Hac igitur ratione solum dicitur vnus DEVS; non autem plures Dij, vllò sensu proprio; sicut nec tres Creatores, aut supremi Domini, &c. E contrario rectè dici possunt tres habentes Deitatem; item tres existentes; tres sapientes; tres æterni, & in creati & immensi, ex communi apud citatos. Quod confirmatur etiam ex Concilio Lateranensi, cap. Firmiter de Summa Trinitat. vbi dicitur, Pater generans, Filius nascentis, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales & coæuales, & coomnipotentes, & coæterni. Quamquam hæc nonnunquam substantiue accipiuntur, ac propterea solum singulariter Deo tribuuntur. Quo modo locutus est sanctus Athanasius in symbolo, Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Non tres æterni, sed vnus æternus: &c. qui tamen ipse ibidem mox inferius ait, tres personas sibi esse coæternas, & coæuales, &c. Ex quibus etiam exponi potest ille loquendi modus, etsi reuera quidem à gentilibus potius, quam ab Ecclesiasticis Scriptoribus vsitatus, & desumptus, DEVS ser Optimus, maximus; vt particula Ter aut simpliciter tantum sit exaggeratiua particula, aut significet in tribus personis optimum maximum. In particulari tamen cauendum, ne in vsu nominum vel suspecta nouitas introducatur; vel incauto sermone scandalum, aut erroris occasio præbeat.*

11 *Affertio V. Tametsi nomen Deus, vt & cætera nomina essentialia concreta, per se quidem & directè significant essentialiam, vt in habente ipsam, atque ita etiam pro essentialia supponant, vt cum dicitur, Deus creat, abstrahendo à personis in particulari; nonnunquam tamen ratione prædicati seu adiuncti suppositio eorum determinatur ad personam, adeoque verè & propriè supponunt pro personâ vnâ vel pluribus. Ita Sanctus Thomas cit. quæstion. 39. articulo 4. ex communi. Probatur & declaratur. Significatio enim nominum non solum pendet ex prima impositione, sed etiam ex accommodatione & vsu, quem habent, iuxta subiectam materiam, siue ex adiunctis circumstantijs; quo modo nonnunquam vocem Oratoris intelligitur Cicero; Philosophi, Aristoteles, &c.*

12 *Quare etiam vocabulum Deus, pro vna persona supponit, cum dicitur, Deus de Deo; siue quod idem est, Deus generat, vel genuit Deum; nimirum, Pater filium; gignere enim, quod additur vocabulæ Deum, Patris proprium est; gigni autem, est solius filij: pro duabus autem personis supponit vocabulum DEVS; cum dicimus, DEVS spiras; quia spirare commune est Patri & filio. Pro tribus autem, vt vult S. Thomas, post Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 9. cum Apostolus ait, 1. Tim. 1. v. 17. Regi seculorum immortalis & inuisibilis, Soli Deo honor & gloria; de quo tamen exemplo, & similibus alijs, aliter existimat Suarez lib. 4. cap. 14. ratus cum Caietano, immediatè supponere pro subsistente in natura diuina, communi & absolutâ subsistentiâ, quam refutauimus dub. præcedent.*

13 *Atque ex hac regulâ & assertione rectè deducit S. Thomas cit. q. 39. art. 4. ad 3. & 5. Vt vera est hæc propositio, Deus generat, siue etiam, Deus generat Deum, qui non est Deus Pater; ita ex vi verborum falsam esse istam, Deus non generat; vt communiter etiam alij Theologi sentiunt: quicquid Aureolus in 1. distinct. 4. quæstion. 1. Durandus distinct. 4. quæst. 2. & Nominales, etiam illam, propositionem; Deus non generat, ex vi verborum veram esse contendunt.*

14 *Probatur & declaratur. Veritas enim prioris vtriusque propositionis patet ex asser. præcedenti; siquidem ex adiuncto determinatur suppositio subiecti ad personam, cui verè conuenit prædicatum.*

14 *Posterior autem propositio est falsa; non solum quod in eâ nihil additur, quod determinet nomen DEVS ad personam filij, vt dicit Sanctus Thomas loc. cit. ad 3. sed quia negatio absolute posita cum termino singulari, est malignantis naturæ, & negat prædicatum de toto subiecto vbiuis existente, cui apponitur; quare ijs verbis significatur, generationem vniuersim repugnare Deo, quod est falsum: esto interim ad veritatem definitæ propositionis etiam negatiuæ; quando subiectum terminus communis est, sufficiat, eam verificari in vno aliquo particulari, vt Dialectici docent.*

15 *Affertio VI. Essentialia diuina, seu essentialia nomina in abstracto, non supponunt pro persona; ac proinde falsæ sunt hæc propositiones, Essentialia generat, vel generatur; producit, vel produciuntur; aliaque similes; in quibus nomina personalia vel notionalia adiectiua prædicantur de essentiali nomine, in abstracto. Ita ex communi & certa S. Thomas cit. quæst. 39. articulo 5. & 6. contra Abbatem Ioaachimum, quicirca hoc errauit, asserens, sicut dicitur, Deus genuit Deum, ita posse dici, Essentialia genuit essentialiam, accusans hoc nomine Magistrum Sententiarum, quasi negando eiusmodi propositiones; quaternitatem rerum in Deo induxerit, nempe tres personas, & quartam essentialiam, seu naturam, vt refertur cap. Damnamus, de summa Trinitat. & fid. Cathol. & ex parte etiam notauit S. Thomas cit. art. 5. Ea vero Abbatis doctrina, ex Instituto damnatur in cit. cap. Damnamus, de Summâ Trinit. & fid. Cathol.*

15 *Rationem assignat S. Thomas; quia ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res*

signifi-

significatas, sed etiam modum significandi. Licet autem secundum rem sit idem Deus, quod Deitas, non tamen est idem modus significandi utrobique. Nam hoc nomen *Deus*, quia significat divinam essentiam (non abstractè, sed ut) in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro personâ: Et sic ea, quæ sunt propria personarum possunt predicari de hoc nomine *Deus*, ut dicatur, quod *Deus est genitus vel generans*, sicut dictum est (alferet. præced.) sed hoc nomen *Essentia* (ut & similia nomina essentialia in abstracto) non habet ex modo suæ significationis, quod supponat pro personâ; quia significat essentiam ut formam abstractam. Et ideo ea, quæ sunt propria personarum, quibus ab invicem distinguuntur, non possunt essentia attribui: significaretur enim, quod esset distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in suppositis. Ita S. Thomas.

16 Sed quia dicit aliquis; esto essentia non supponat pro personâ; quid nō tamen saltem in sensu identico vera sit hæc propositio: *Essentia divina est generans*, cum essentia divina identicè idem sit quod *Deus*; idcirco addendum est ex eodem S. Thoma supra q. 32. a. 2. ad 2. cum de subiecto aliquo predicatur actio, prædicatione intelligi sensu formali, non identico; ac proinde actionem verè predicari non posse, nisi vel de supposito agente, vel de principio formali talis actionis. Sic enim rectè dicimus, *Deus intelligit*, aut intellectus intelligit; non autem voluntas divina intelligit, licet voluntas divina identicè idem sit quod *Deus*, & intellectus divinus.

17 Assertio VII. Etsi nomina personalia, vel notionalia adiectiva, ut generans, generatus, &c. non possunt predicari de essentia, seu attributo essentiali in abstracto, cum requirant sensum formalem, ut dictum asserti. præced. tamen substantiva nomina possunt de essentia tam in concreto, quam in abstracto predicari, propter realem identitatem essentia & personæ, dicendo, *Deus siue Essentia divina est Pater*, & *Filius*, & *Spiritus sanctus*, est *Trinitas*, est *tres personæ*. &c. sicut & contra: *Trinitas siue tres personæ sunt Deus* & *essentia divina*. Ita S. Thomas cit. q. 39. a. 6. ex comuni; contra Gilbertum Porretanum, quem refert S. Thomas ad 1. negasse hanc propositionem, *Deus est Trinitas*, & contra Abbatem Ioachim, qui idem docuit, nullam rem esse in Deo, quæ sit *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus sanctus*, ut refertur & damnatur cit. capit. *Damnatus* de sum. Trinit. & fid. Cathol. Ratio est, quia ad unitatē prædicationis substantiivi de substantivo satis est, si ea prædicatione vera sit sensu identico, ac proinde sufficit identitas extremorum inter se, qualis in extremis dictarum propositionum cernitur. Et quamvis pro nullo supposito- rum divinæ naturæ hæc sit vera, *Deus est Trinitas*, est tamen vera pro essentia.

18 Nec obstat, quod hæc propositio est falsa. *Homo est omnis homo*. eo quod pro nullo supposito verificari possit, quia nomen *homo*, inquit S. Thomas cit. a. 6. ad 1. per se habet, ut supponat pro personâ, sed hoc nomen *Deus* per se habet, quod sit pro essentia, unde licet pro nullo supposito- rum divinæ naturæ hæc sit vera, *Deus est Trinitas*, est tamen vera pro essentia, quod non attendens Porretanus, eam negavit. Clarius

fortè dici potest, diferimen esse, quod à parte rei nulla entitas est, etiam si sit homo, quæ sit omnis homo; sicut à parte rei *Deus* est essentia divina, quæ est *Trinitas*; adeoque omnes & singulæ personæ. Abbas autem Ioachimus falsus nixus est fundamento, quod personæ divinæ non sint vnum identicè ac substantialiter in essentia, ut dicitur dub. seq.

19 Unde etiam colligitur primò; tamen si verè dici non possit, *Essentia divina est generans vel genita*; tamen cum addito substantivo rectè dici possit, est *res*, aut *DEUS generans*, quia *res generata* sit *res*, & *DEUS* (uti fieri potest) supponat pro personâ; non autem si supponat pro essentia, sicut etiam dici potest, *Essentia divina est res generans*, & *res non generans*; quia hæc non sunt contradictoria; nam in posteriori locutione res supponit pro essentia; in priori pro personâ, ut docet S. Thomas art. 5. ad 5.

20 Colligitur secundo, veram esse propositionem illam, quam habet S. Augustinus lib. 4. de Trinitate. capit. 20. *Pater est principium totius Deitatis*; siue ut tota Deitas per modum nominis collectivi sumatur, pro unitate personarum; in sensu tamen accommodato; personarum nimirum procedentium: sicut aliquis dicitur Rector totius populi, non tamen suspicius; siue quia est principium duarum personarum, quæ sunt: tota indivisibilis Deitas; siue quia est principium totius Deitatis; non quia eam generet & spiraret; sed quia eam generando & spirando comunicat. Ita docet S. Thomas cit. a. 5. ad 6.

21 Addit idem art. 6. ad 2. Sicut illa propositio, *Pater est Deus*, est per se, ita etiam esse istam; *Deus est Pater*. Quod proportionaliter intelligendum videtur, nam hæc iuxta nostrum quidem concipiendi modum, pertinet ad secundum modum dicendi per se, cum subiectum sit de essentia prædicati, altera ad primum: illa directa, hæc quasi indirecta est, ut notavit Vasquez in commentario ibidem. Plura de hac re q. 3. dub. 2 & 3.

22 Assertio IIX. Circa verba significantia in divinis unitatem, aut distinctionem, illud studiose observandum, ut inter duos errores extremos ita medium teneamus, ut nec, dum pluralitatem aliquam Deo tribuimus, in errorem Arij impingamus, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatē substantiarum seu naturarū, neq; dum unitatē profiteamur, Sabellij errorē incurramus, qui posuit cum unitate essentia, unitatē personæ. Hanc regulā statuit S. Thomas q. 31. a. 2. ex comuni & certa omnium Catholicorum sententia, quam etiam ipse particulatim ita declarat.

Etenim ad evitandum errorem Arij, ne tollatur unitas essentia, vitare debemus in divinis nomen *diversitas*, & *differentia*, quia hæc absolute pronuntiata, substantia & formæ distinctionem significant; licet cum addito rectè dici possit, *personas differre proprietatibus*, ut ex Damasceno l. 3. c. 6. & 7. rectè notavit Vasquez disp. 131. capite 2. sicut etiam Theologi nonnunquam vocant *personas diversas*, nimirum proprietatibus personalibus; ut videre est in Anselmo l. de processu spir. sancti. cap. 2. quem citamus infra q. 4.

dub.

dub. 6. Possimus etiam, inquit Sanctus Thomas loco citat. *ut nomine distinctionis, propter oppositio- nem relativam. Eadem ratione, ne tollatur simpli- citas essentiae, vitandum est nomen separationis, & di- visionis, quae est totius in partes. Ne autem tollatur a- qualitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni & discrepantis. Alienum enim vocatur, quod est extraneum, & dissimile; quod non significatur voce alius, ut dicitur.*

23 E contrario ad vitandum errorem Sabellij, vi- tare debemus, inquit Sanctus Thomas, singulari- tatem; ne tollatur communicabilitas essentiae divinae. Vnde Hilarius dicit 7. de Trinitat. *Patrem & Fili- um singularem Deum predicare sacrilegum est. Debe- mus etiam vitare nomen unici (dicendo Deus est unicus) ne tollatur numerus personarum. Vnde Hilarius ibidem dicit, quod à Deo excluditur singularitas, atque un- nici intelligentia. Ita Sanctus Thomas: Sed recte, notat post Durandum in 1. distinct. 9. quaest. 1. Vasquez disputat. 131. cap. 4. per se, & secluso erroris Sabelliani periculo, non malè dici, *Deum esse unicum, imò & singularem, excludendo vide- licet plures Deos, ut loquuntur etiam Lactantius lib. 4. diuin. Institut. cap. 29. & Sophronius Syn- od. VI. act. 11. in confess. fid. Pergit Sanctus Tho- mas: Dicimus tamen unicus Filius (unicus Spiritus sanctus, &c.) quia non sunt plures Filij in diuinis, &c. Vitamus etiam nomen Confusi, ne tollatur ordo natura (sive originis) à personis. Vnde Ambrosius dicit. 1. de Trinit. *Neq. confusum est quod unū est, neq. multiplex esse potest, quod indifferens est. Vitandum est etiam nomen soli- tary, ne tollatur consortium trium personarum. Dicit enim Hilarius 4. de Trinitat. Nobis neque solitarium, neque di- uersus Deum est confitendus.***

24 Porro iuxta eandem regulam, recte in diuinis usurpatur nomen masculinum alius; dicendo, *Fili- us est alius à Patre, & Spiritu sancto &c.* non autem neutrum, aliud; ut omnes sancti loquun- tur: & habetur etiam cap. Damnamus de sum. Trinitat. sicut è contrario dicimus, *in Christo esse aliud & aliud; non autem esse alium & alium.* Cuius rationem assignat sanctus Thomas ibidem ad 4. *quia neutrum genus est informe, masculinum au- tem est formatum, & distinctum; similiter femininum. Et ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis, per masculinum autem & femininum, ali- quod suppositum determinatum in communi natura. Vn- de etiam in rebus humanis, si queratur, quis est iste? re- spondetur, Socrates; quod nomen est suppositum. Si autem queratur, quid est iste? responderetur animal rationale & mortale. Et ideo quia in diuinis distinctio est secundū perso- nas, non autē secundū essentia, dicimus quod Pater est a- lius à Filio, sed non aliud. Et è conuerso dicimus, quod sunt unum, sed non unus. Ita Sanctus Thomas. Quod de nomi- nibus alter, & alterum; unus, & unum, idem ma- sculinè, & idem neutraliter, intelligendum, ut rectè Vasquez disp. 131. cap. 1.*

25 Nec tamen ideo rectè dici potest, *Pater genuit alium Deum, ut ex communi Sanctus Thomas q. 39. artic. 4. ad 4. et si dici possit Pater genuit alium, qui est Deus: hic enim sola distinctio personae, il- lic etiam diuersitas naturae significatur: quā de-*

causā etiam dici non potest *Filius est alius DEVS à Patre, ut docet ead. quaest. 39. art. 4. Sanctus Tho- mas: quia vocula Alius, in eiusmodi locutioni- bus, ponit rem suam, inquit Sanctus Thomas, sive suum significatum, circa substantiuum Deum, & sic significatur distinctio Deitatis. Sicut etiam Augusti- nus non nisi improprie & quadam emphatica lo- cutione dixit epist. 66. ad Maxim. *Deus Pater genuit alterum se; ut sit sensus, genuit alterum simillimū sibi: cum tamen interim proprie dicatur, Pater genuit alterum à se, iuxta sanctum Thomam ibidem, & comunem. Bene Augustinus orat. de s. haeref. à med. *Cum dico Filius, alter est, cum dico Deus, unus est. Alius est, quia Filius est, aliud quidē non est, quia Deus est.***

Denique ob eandem causam, vocula, *solum*, per modum categorematis, non potest addi termino absoluto in diuinis; dicendo v. g. *Deus est solus*; sig- nificaretur enim illum esse solitarium, & sine con- sortio plurium personarum: per modum autē syn- categorematis potest addi; dicendo v. g. *solum Deus creat*, sub quo tamen non licet descendere, dicen- do, *solum Pater creat*: quia *ut sophista dicitur, dicitur exclusiua immobilitatis terminum, cui adiungitur, ut non possit sub eo fieri descensus, pro aliquo supposito- rum seu inferiorum, ut docet S. Thomas ead. q. 31. a. 3. ex communi, &c. Eadem ratione Vocula *solum*, non potest addi termino personali in Deo, cum, praedicatum est absolutum seu essentiale, secus cum est relatiuum seu notionale. Vnde non rectè dicimus, *solum Pater creat*; sed bene, *solum Pa- ter generat, &c.* ut docet S. Thomas ibidem art. 4.*

Qui simul rectè utroque articulo monet, h quid his notationibus aduersum quandoque, sive in Scripturā sacrā, sive apud SS. Patres reperitur, id piè exponendum esse; ut si quando vocula *solum* ad- datur termino personali, etiam cum praedicatum est absolutum, excludatur solum aliud seu diuer- sum in natura, non alius, seu persona alia. Cum e- nim aliquid essentiale dicitur de Patre, non exclu- duntur concomitantia, adeoque nec Filius vel Spiritus sanctus, propter essentiae unitatem, iuxta regulam Theologicam, & communem SS. Patrum, ut dictum etiam dub. 4. De voculis autem *triplex, multiplex, Trinitas, & Trinitas*, de quibus agit S. Tho- mas q. 31. a. 1. egimus supra dub. 1.

#### DUBIVM VIII.

*An, & qua ratione diuina persona sint inter se similes, & quales (saluo tamen originis ordine): & idem in essentia, atq; in se mutuo exi- stentes.*

S. Thom. 1. p. q. 42. a. 6.

AD cognitionem diuinarum personarū in ge- nere, pertinet etiā comparatio eorundē inter se, quatenus in comuni, ac praecise ut sunt diuinæ personae, spectantur: quo spectat aequalitas, simili- tudo, mutua inexistētia, idēditas, & ut Theologi vocant, *Circuminsessio* earundem, de quibus breui- ter sequentes assertiones statuimus.

Assertio

Assertio I. Omnes personæ diuinæ inter se sunt æquales & similes; tùm absolute quoad perfectionem; tùm speciatim quoad durationem, & potentiam. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 42. artic. 1. 2. 4. & 6. ex communi Doctorum; & habetur tùm ex scriptura, Philipp. 2. vers. 6. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo;* tùm ex simbolo Athanasii in quo dicitur; *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Et infra speciatim de Filio DEI; *Æqualis Patri secundum Diuinitatem; minor Patre secundum Humanitatem.* Idem habetur in pluribus Conciliis, & passim apud SS. Patres. Optimè Augustinus, seu potius Fulgentius lib. de fide ad Petrum: *Æqualitas intelligitur in Patre & Filio, & Spiritu sancto, in quantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.*

2 Ratio est. Quia inter eas cum distinctione secundum personam, reperitur vnitas naturæ, & essentialis perfectionis; quæ tam per modum qualitatis, quam quantitatis, non molis, sed virtutis, à nobis consideratur, adeoq; fundat & similitudinem, & æqualitatem. Nam vt bene S. Thomas cit. a. 1. *Æqualitas secundum quantitatem virtutis, includit in se similitudinem, & aliquid amplius; quia excludit excessum.*

Rursum quia vna personæ diuinæ producit alteram, non voluntate & consilio, sed natura, vt dicitur quæst. seq. neque successiue, aut in tempore, cum personæ producat ab æterno ac simul habeat, tum perfectionem productiuam totam, tum omnia requisita ad producendum; terminusque productus sit indiuisibilis, ac partium omnino expertus; idcirco productio ea personarum fuit æterna, terminusq; productus coæternus personæ producenti; quod est esse æqualem secundum durationem. Quare etiam SS. Patres productionem Filii comparant splendori, seu lumini à sole aut igne producto; quod non posterius secundum durationem, sed simul cum sole existit, quamuis ab eo productum. Bene Augustinus orat. cont. quinque hæres. à med. *Coæui sunt Pater & Filius; splendor & ignis. Nec ignis sine splendore; nec splendor sine igne.*

3 Eandemque ob causam, quia & producat, & terminus productus, ipsaque productio immanens in Deo, eodem penitus inuariato modo se habent, idcirco & Filius semper generatur, & Pater semper generat, vt ait S. Thomas art. 2. ad 3. Et rursum resp. ad 4. *Generatio filii, inquit, non est in nunc temporis, aut in tempore, sed in æternitate. Et ideo ad significandum præsentiam, & permanentiam æternitatis, potest dici, quod semper nascitur, vt Origenes dixit homil. 2. in diuersis. Sed vt Gregorius lib. 29. moral. cap. 1. & Augustinus in psalm. 2. dicunt, melius est, vtdicatur semper natus; vt vascula semper designet permanentiam æternitatis, & vascula natus perfectionem geniti.* Ita S. Thomas.

4 Ex quibus etiam Arianorum error refellitur, qui dicebant, filium ex non entibus, seu ex non esse fuisse productum; item fuisse tempus, quando non erat filius. Vide Augustinum loc. cit. contra quinque hæreses.

Denique quia potentia agendi consequitur perfectionem naturæ, dubium non est, quin personæ omnes æquales sint, etiam secundum potentiam & potestatem; siue hæc potentia referatur ad creaturas, si-

ue ad internas processiones personarum. Quo modo tamen hinc non sequatur, absolute Filium etiã posse generare, quantumuis habeat eandem potentiam generatiuam, quam habet Pater, eo nimirum, quod illi desit conditio requisita ad generandum, quæ est habere potentiam generandi ex se, & ratione prius, quam ad æquatus eius potentia terminus sit productus, iuxta S. Thomam hic cit. a. 6. ad 3. dicitur quæst. seq. Obiectionem ex diuersitate perfectionis personæ singularium personarum peritam dissoluimus supra dub. 4. & rursum q. 3. dub. 4.

5 Assertio II. Id in quo personæ diuinæ similes sunt & æquales, non sunt relationes seu proprietates personales; sed natura cum suis perfectionibus absolutis. Ita S. Thomas cit. a. 1. ad 4. & a. 4. ad 2. ex communi, cum Magistro in 1. d. 3. 1. & expressè docet Augustinus lib. 5. de Trinitate. 6. vbi ait: *Quia filius non ad filium relatiue dicitur, sed ad Patrem, non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est filius Patri, restat, vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quicquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo, vt secundum substantiam sit æqualis. Eadem est igitur vtriusq; substantia.* Ita Augustinus.

Ratio est. Quia relationes personales, cum sint disquirantia, adeoq; diuersæ rationis, non possunt proprie dici similes, nec æquales, aut inæquales; quia æqualitas & inæqualitas non habent locum nisi inter quantitates eiusdem rationis. Supponit enim æqualitas vnitatem formæ; adeoq; similitudinem, & superaddit exæquationem, quæ si desit, dicuntur quidè similes, sed inæquales. Quocirca nec linea superficiali, nec superficies corpori, æqualis aut inæqualis rectè dicitur, vt notauit S. Thomas eod. a. 1. ad 2.

6 Neq; tamen ideo ipsa essentia vnus personæ dici debet similis essentia alterius personæ; cum similitudo non sit nisi inter plura; essentia aut in omnibus sit eadem; quam ob causam iam olim è vocabulum Arianorum *ὁμοιωσις* hoc est, *similis essentia*, quod pro voce *ὁμοιοσις* (eiusdem essentia) obtrudere nitentur, à sanctis Patribus reprobatur fuit: sed personæ ipsæ diuinæ sunt similes & æquales in essentia, hoc est, in habendo eandem essentiam.

Dices. Si personæ secundum suas relationes non sunt similes; ergo dici poterūt dissimiles. Respondeo negando sequelam. Quia similitudo & dissimilitudo proprie non est secundum relationes; sed secundum qualitates, aut aliquid, quod consideratur per modum qualitatis. Personæ igitur secundum relationes, quia substantiales sunt, distinctæ & plures quidem dicuntur, sed non dissimiles.

7 Assertio III. Æqualitas hæc, & similitudo, inter personas diuinæ, non sunt relationes reales, sed tantū rationis. Ita S. Thomas cit. q. 42. a. 1. ad 4. & apertius Caietanus, Torres, & recentiores Thomistæ ibidem, Durandus in 1. d. 3. 1. q. 1. Capreolus q. 1. art. 1. Ægidius a. 1. q. 1. Richardus a. 1. q. 2. Marsilius in 1. q. 3. 3. a. 2. Ferrariensis 4. cont. gent. c. 1. Gregorius de Valentia q. 16. pun. 1. Molina hic q. 4. 1. a. 1. d. 2. Vasquez disp. 166. c. 2. Suarez lib. 4. c. 15. ex communi, contra Scotum in 1. d. 3. 1. q. 1. & quodl. 6. a. 2. vbi docet, eas relationes esse reales. Ratio vera & solida assersionis est; quia relationes æqualitatis & similitudinis non possunt esse reales, nisi etiam fundamentum, in quo fundantur, sit reipsa distinctum in subiectis.

quæ denominantur equalia, aut similia: quandoquidem fundamentum est id, quod per se primò dici debet simile & æquale, ut apparet in albedine, & quantitate, secundum quas due substantiæ dicuntur similes, & æquales. In proposito autem essentia, in cuius unitate fundantur hæ relationes, non est vilo modo distincta in personis diuinis, sed plane eadem, ut inferius dicitur. Atq; ita rectè rem hanc exposuerunt Vasquez & Suarez loc. cit. & sumitur ex S. Thoma. loc. cit. ad 4. Quæ etiam ibidem rectè docet, relationem non posse esse fundamentum nouæ relationis realis, puta oppositionis, diuersitatis, &c. Daretur enim processus in infinitum; de qua re plura q. 3. vbi de relationibus ex instituto agendum.

8 Assertio IV. Non obstante in supradicta æqualitate, est aliquis ordo inter personas diuinis; non quidem durationis vel dignitatis, ex dictis; nec est causalitatis; quia vna non pendet ab altera: nec est rationis, si personæ inter se conferantur, ut actu ad se inuicem relate; sic n. simul sunt natura & ratione, sicut & cætera relatiua; sed originis: secundum quem ordinem, vna persona verè & realiter est ab alia. Ita S. Thomas cit. q. 42. a. 3. & communis Doctorum; & sumitur ex SS. Patribus: qui idcirco et non nunquam Patrè vocant *maiorè*, quod ab eorum alia personæ; salua semper æqualitate dignitatis & perfectionis, ut videre est apud Vasquium d. 12. l. c. 3. & q. 45. a. 6. in qua tñ re non paulo liberiores sunt Græci, quam Latini. Vnde Augustinus lib. 3. cont. Maximinum Arianum c. 18. *Quod si dixeris; eo ipso maior est Pater filio; quia de nullo genuit, genuit tamen æqualem; esto respondebo: imò ideo non est maior Pater filio, quia æqualem genuit, non minorem. Originis enim quæstio est, quis de quo sit; æqualitas autem, qualis aut quantus sit.*

9 Eum ordinem S. Thomas cit. a. 3. cum Augustino orat. de quinq; hæresibus à med. vocat *et ordine nature*, non quod ipsa natura personarum hoc ordine ordinetur; vbi enim est identitas seu unitas, non est ordo: nec quod vna persona sit prior natura, quam alia; talis enim prioritas proprie non est, nisi inter causam & effectum, aut ea, quorum vnum prius est secundum subsistendi consequentiam: sed quia est ordo realis inter illas, inq; reali processione fundatur, seu ut se ipsum declarat S. Thomas ibidè ad 3. quia *ordo in diuinis personis attenditur, secundum naturalem originem*; quam ob causam et ordo hic non debet dici ordo rationis, sed realis; non tamen adferens aut includens relationem realem distinctam ab ipsis relationibus personalibus. Ordo enim, seu prioritas rationis, inter personas oppositas, & actu ad se relatas, esse non potest, quia relatiua sunt simul natura & ratione; ut dictum, & notauit S. Thomas art. 3. ad 2.

10 Assertio V. Quæstio nominis est, an ideo et prioritas aliqua inter diuinis personas cõcedenda sit: absolute rectius negatur; sed cum addito, *Originis*, concedi potest. Declaratur assertio. Simpliciter n. & absolute esse prioritatem aliquam inter diuinis personas, negat S. Thomas hic cit. q. 42. a. 2. quem communiter Thomistæ recentiores sequuntur. Afirmat aut Scotus in 1. d. 28. q. 3. & in 2. d. 1. q. 1. Equidem sentio rectè concedi prioritatem, non absolute & simpliciter; tum quia hoc alienum est à modo loquendi Patrum; tum ne significetur, esse prioritatem durationis, aut causalitatis, inter diuinis personas: sed cum

addito, *Originis*, non est cur prioritas negetur; ut bene Suarez lib. 4. c. 16. & Vasquez disp. 167. cap. 2. Ratio est. Quia vbi est ordo, est etiam prioritas; secundum quam vnum altero dicatur eo ordine prius.

Addit Vasquez d. 168. c. 2. contra Durandum in 1. d. 12. q. 1. non minus per se esse realem ordinem prioris & posterioris, inter origines passiuas, quàm inter personas: quia vnum altero dicitur eo ordine prius. Addit Vasquez d. 168. c. 2. contra Durandum in 1. d. 12. q. 1. non minus per se esse realem ordinem prioris & posterioris, inter origines passiuas, quàm inter personas: quia vnum altero dicitur eo ordine prius. Addit Vasquez d. 168. c. 2. contra Durandum in 1. d. 12. q. 1. non minus per se esse realem ordinem prioris & posterioris, inter origines passiuas, quàm inter personas: quia vnum altero dicitur eo ordine prius. Addit Vasquez d. 168. c. 2. contra Durandum in 1. d. 12. q. 1. non minus per se esse realem ordinem prioris & posterioris, inter origines passiuas, quàm inter personas: quia vnum altero dicitur eo ordine prius.

12 Assertio VI. Persona diuinæ non solum inter se sunt similes, & æquales, ut dictum; sed eorum planè & idè substancialiter & identice in essentia; licet inter se comparata realiter distinguantur. Posterior pars assertionis constat ex dictis dub. 3. assert. 7. Priorem partem passim tradit S. Thomas, speciatim q. 39. a. 2. & cõsentunt omnes Theologi cū Magistro in 1. d. 34. & est de fide contra Ioachim Abbatem, qui dicebat, et si Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vna essentia, vna substantia, vnaq; natura, tñ unitatè huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse; quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles, vna Ecclesia. Quæ doctrina ex instituto damnata fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 2. & refertur cap. *Damnatus*, de sum. Trinit. & fid. Cathol.

13 Probatur assertio ex Scriptura Ioann. 10. v. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* Et 1. Ioann. 5. v. 8. *Et tres vnum sunt.* Idem probatur omnibus locis, quibus probauimus dub. 3. Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse vnum & verum Deum: quia Deus vnus tantum est, & vna numero essentia seu natura diuina. Idem definiunt Concilium Nicænum, aliaque posteriora, quando personas omnes hominis & consubstantiales esse definiunt; ut etiam habetur in omnibus symbolis, & apud SS. Patres passim. Ratio est. Quia vna tantum numero est essentia, seu natura diuina, eaque non nisi ratione distinguitur à personis diuinis, ut dictum dub. præceden. Ergo identificatur à parte rei cum omnibus, & singulis personis diuinis; ac proinde etiam ipsa personæ diuinæ à parte rei, adeoque substancialiter & identice vnum & idem sunt in essentia diuina.

14 Nec obstat illud, quod Ioachim obieciebat, Ioann. 17. *Solo Pater, ut sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus.* Nam vocula, *sicut*, hoc loco non dicit perfectam similitudinem, sed proportionem; ut & in simili. Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est, ut bene respondetur cit. cap. *Damnatus*.*



Assertio VI. Qualibet persona diuina intimè est in alia qualibet; idque secundum se totam, adcoque etiam secundum relationem; non tantum secundum essentiam, aut aliquid sui: hæcque inexistencia vnus personæ in alia rectè *Circuminsessio* dicitur. Ita Sancti Thomas quæst. 42. artic. 5. ex communi. Prima pars est de fide, ex Ioann. 14. vers. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est*: idemque passim docent SS. Patres. Ratio est. Quia quando plura inter se intimè identificantur in aliquo tertio; neque vnum excedit alterum; rectè dicuntur in se inuicem esse: personæ autem omnes intimè identificantur in essentia diuina; neque vna excedit alteram, ex dictis: Ergo &c.

15 Secunda pars est contra Henricum Gandauensem in summa, qui, ut refertur etiam à Scoto in 1. d. 19. quæst. 2. docuit, vnã personam non esse in alia secundum se totam, sed secundum aliquid sui; nimirum secundum essentiam, non secundum personalem relationem, qua alteri opponitur: cui etiam consentire videtur Durandus in 1. distin. 19. quæst. 4. Sed contrarium rectè docent Scotus loc. cit. Caietanus, & Torres hic cit. quæst. 42. artic. 5. Vasquez disp. 169. cap. 2. & Suarez hic lib. 4. cap. 16. idemque significant Bonauentura in 1. distin. 19. quæst. 4. Gabriel quæst. 2. artic. 1. Capreolus quæst. 1. artic. 1. ad 3. Marfilus in 1. quæst. 22. articulo secundo, & Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 9. & ipsemet S. Thomas hic cit. art. 5. vbi ait; *quod in Patre & Filio ariã est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem; & secundum quodlibet istorum Filius est in Patre, & e conuerso*. Idem docet Hilarius lib. 7. de Trinit. circa finem, vbi ait: *In esse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, sed ita esse ac subsistere, ut subsistens in subsistente in se; ita verè in esse, ut ipse subsistat*. Est ergo vna persona in alia, ut subsistens in subsistente, adeoque secundum se totam, non tantum secundum essentiam. Idem indicat hymnus Ecclesiæ in laudibus feræ secundæ: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*.

16 Ratio est. Quia omnes & singulæ personæ secundum se totas identificantur cum essentia; non tantum secundum aliquid sui. Quamuis ergo ratio, ob quam vna persona sit in alia, seu etiam ob quam vna persona continere dicitur aliam, supposita pluralitate personarum, sit identitas essentia; non tamen secundum essentiam solum vna persona est in alia. Neque ideo, si etiam ratio Patris est in Filio, sequitur Filium esse Patrem; quia non est in Filio per modum formæ in hærentis, aut per modum formæ, aut proprietatis personalis constituentis Filium, ut est in Patre; sed per simplicissimam & intimam identificationem cum ipsa essentia filii; à qua identificatione non desumitur ratio aut denominatio personarum.

Tertia pars sumitur ex Damasceno lib. 2. fid. cap. 10. communi vsu loquendi Theologorum apud Carthusianum dist. 19. quæst. 2. neque aliud re ipsa eo modo loquendi significatur, quam vnã & eandem essentiam absolutam esse in tribus personis. Vnde Bonauentura loc. cit. ait; *Patrem esse in Filio ratione unitatis essentia, non est aliud, quam Patrem Filio esse consubstantialem, & e contrario*. Et rursum, hoc modo existendi, per circuminsessionem, ita denotari ait, *unitatem cum distinctione, ut vnitas sit indistincta, & distinctio inconfusa*. Quo sensu etiam Sabadius lib. cont. Arium tom. 4. biblioth. dicit, per illa verba Christi, *Ego in Patre, & Pater in me est*, duos errores confutari; Sabellii scilicet & Arii. Et quia proprium est hoc diuinarum personarum, ut stante etiam distinctione reali inter se, & reali pluralitate, identificentur cum essentia, ideo hæc inexistencia mutua personarum in se inuicem, per circuminsessionem, diuinitatis ac diuinarum personarum plane propria est; neque reperitur eius vllum exemplum aut simile in rebus creatis, ut docent SS. Patres, & dictum etiam supra dub. 3. & 4.

18 Assertio VII. Habitudo illa inexistentiæ mutua inter personas, est quidem iuxta nostrum concipiendi modum, relatio quædam æquiparantiæ mutua, eiusdemque rationis in omnibus personis; verum non realis, sed rationis tantum. Ita Scotus cit. dist. 19. quæst. 2. Suarez loc. cit. & Vasquez disp. 169. num. 7. Ratio est. Quia aut fundatur hæc relatio in essentia præcisè, seu immensitate, ut vult Suarez; & tunc non potest esse realis, ob eam, quæ in simili diximus assertionem 3. Aut fundatur etiam in relationibus personalibus, seu in ipsis personis, quatenus ad se inuicem referuntur; & tunc etiam non potest esse realis: quia relatio non potest esse fundamentum nouæ relationis realis, aut noua relatione reali referri, ut magis patebit quæst. 3. dub. 7. Nec distinguendum est inter fundamentum mutua inexistentiæ personarum, & mutua continentia; ut contra Durandum loc. cit. rectè Vasquez num. 6. sed eadem essentia communis, connotatis personis, est fundamentum vtriusque. Neque duo illa inter se differunt, nisi vocibus, & fortè inadæquatis conceptibus; licet Vasquez ibidem cum Durando relationem illam continentia, dicat esse diuersam in distinctis personis, continentis videlicet, & eius quæ continetur: cum tamen hæc continentia non minus sit mutua inter personas, quam inexistencia; neque alia ratione vna persona aliam continere ad hunc modum dicatur, quam quia vna in alia intimè existit, sine excessu & dependentia.